



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput IV. De Lege Humana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

8) Neque Lex Evangelica admittit *epikiam*, quia hæc est emendatio legis; quamvis non fugiat interpretationem *doctrinalem* circa obligationem & sensum verborum legis: cuiusmodi etiam concessa fuit V. L. Sacerdotibus, ad quoꝝ ire jubebantur Israëlitæ in dubiis occurrentibus. Hæc tamen interpretatio doctrinalis ut authentica sit, non cu-jusvis, sed Ecclesiæ autoritate fieri debet: huic enim Deus legum suarum pignus concredidit. Patet hinc, quām absurdâ sit hæc *Quesnelli* 71 propositio damnata: *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus propter ipsius utilitatem condidit.*

9) Lex Evangelica usque ad finem Mundi certissimè duratura est. De præceptis moralibus per se constat, ea abrogari non posse, quia *naturalia* sunt: *Ceremonialia* autem quamvis absolute mutari possent, nam libere condita sunt à Deo; nihilominus & ipsa semper durabunt, dieente Christo *Marth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Seculi.* Deinde *Christus Sacerdotium habet sempiternum*, ad *Hebr. 7. Et Ps. 109. Tu es Sacerdos in æternum.* Igitur sempiternum quoque est *Sacrificium*, & *Sacramenta æterna*, per hæc enim efficiuntur *Ministri Altaris.* Sed & Legi Evangelicæ nulla lex præstantior, aut perfectior succedere potest, ut pater consideranti singula præcepta, sive *moralia*, sive *ceremonialia*.

C A P U T IV.

De Lege Humana.

150. **L**ex Humana generatim definiri potest *rationabiliter imperium*, seu *jussum in bonum commune publicâ autoritate humanâ conditum & sufficienter promulgatum.* Hujusmodi lex si bonum spirituale animarum immediatè respicit, dicitur *ecclesiastica*: cùm verò ad bonum temporale subditorum ordinatur, *civilis aut profana nuncupatur.* Alia est *lex scripta*, sive *literis consignata*; alia *non scripta*,

scripta, quæ ex usu & consuetudine vigeat. Christianis nullam ab hominibus legem imponi posse, nisi in quantum ipsi velint, error erat *Lutheri*, quem secuti sunt *Anabaptistæ* contendentes, non licere Christianis Magistratus gerere, nec inter illos tribunalia & judicia esse debere. *Wiclef*, *Huss* aliique HH. docuere, Ecclesiæ nullam à Christo potestatem Jurisdictionis concessam esse, sed dunt taxat prædicandi verbum Dei, & Sacra menta ad ministrandi. Hi ipsi HH. negabant, ullas leges humanas habere vim obligandi fideles in conscientia: ipsam verò potestatem legislativam ita conjunctam esse cum Fide, & bonis moribus, ut Legislatori infideli & improbo parendum non sit. Alii denique potestatem ecclesiasticam à civili individuali esse contendunt,

QUAESTIO I.

An detur potestas ferendi leges civiles, & ecclesiasticas?

Familia aliqua, in qua vivunt maritus, uxor, 151. liberi, servi & ancillæ, dicitur communitas *imperfecta*: potestas verò, quæ marito seu capiti unitius familie competit, æconomica seu dominativa vocatur, nec propriè legislativa est, cùm illa non sit potestas publica respiciens bonum communitatis, ideoque Pater fam. præcepta dare potest, non autem leges condere. Communitas *perfecta* dicitur, quæ in ordine ad bonum commune sub aliquo capite coalescit, veluti civitates & Principatus. Præterea homines considerari possunt, vel secundum se, & extra omnem communitatem po-

Tom. II.

Ee

siti:

434 DE LEGE HUMANA.

siti: & sic nulla datur potestas jurisdictionis, quia singuli nascuntur liberi, ac proinde nullus dominio alterius est obnoxius; vel quatenus sunt membra communitatis, cui facto suo, vel alieno adgregati sunt.

I52. In Communitate perfecta datur potestas condendi leges civiles. Est de Fide. Nam Christus ipse & verbo, & exemplo docuit, Principibus secularibus justa imperantibus obediendum esse, velut in cùm Luc. 20. interrogatus: *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? . . . dixit ad eos: . . . Reddite ergo, quæ sunt Cæsariorum, Cæsari.* Unde Apostolus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatae sunt.* (gr. τεταγμέναι, constitutæ) Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Et iterum ad Tit. 3. *Admone illos Principibus. Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omnem opus bonum paratos esse.* Nempe omnis perfecta Communitas ut pace & tranquillitate perfruatur, ut sua cuivis jura serventur illæsa, ut bonum ejus publicum promoveatur, magis indiget Gouvernatorre, quam suo Capite familia. Quid autem comodi à Gouvernatore exspectes, quem destituit potestas ferendi leges, quibus firmentur Jura, & injuriæ ac scelera arceantur? In hanc igitur potestatem legislativam sive expressè, sive tacitè consensisse censentur homines, simul atque membra Communitatis esse elegerunt, quæ demum cumque illa gubernatio sit, vel monarchica, vel aristocratica, vel democratica, aut alia quævis mixta.

Datur

DE LEGE HUMANA. 435

Datur in Ecclesia potestas ferendi leges ecclesiasticas. Est de Fide. Cum enim Christus Matth. 18. dixisset: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus, continuo subiunxit: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo, significans, quantam Ecclesiæ Pastores haberent potestatem, ne quis illis auderet repugnare. Quocirca Apostolus Act. 20. ad Episcopos Asiae, qui Ephesi convenerant: Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et ad Hebr. 13. hortatur Fideles, ut obediant Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis: Obedite Præpositis vestris, et subjecete eis. Ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Igitur Prælati Ecclesiæ præsunt cum imperio non solùm nudo & directivo, sed etiam coactivo. Quod iterum docet idem Apostolus 2. ad Cor. 10. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam; &c. 13. Prædixi et prædico, ut præsens, et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. Utramque hanc potestatem, tam præceptivam, quam coactivam Apostolos exercuisse, S. Paginæ testantur, uti 1. ad Cor. 5. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi... tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis. Et 1. ad Tim. 1. v. 29. Hymenæum & Alexandrum simili excommunicationis fulmine feriit. Eadem veritas constat ex perpetuo sensu & praxi totius Ecclesiæ, Rom. PP. & Episcoporum.

153.

Ecclesiastica.

Ee 2

* Utrum

436 DE LEGE HUMANA.

a) Utrum potestas condendi leges à Deo immediatè descendat? disputatur. Illam, qua Romanus Pontifex gaudet in totam & universalem Ecclesiam, à Deo immediatè esse, Orthodoxi facile omnes, si fors Febronianos exceptis, largiuntur, nam Successoribus S. Petri non minus ac ipsi S. Petro dictum est: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Episcopos etiam *Jure divino* habere potestatem rendi leges pro suis Diocesisibus, satis colligitur ex c. 20. Act. ubi dicuntur a Spiritu S. positi, ut gregem suum regant, & pascant. Ut tamen hæc potestas vi ipsius ordinationis episcopalnis accepta proximè expedita sit, atque in actum exire deinceps possit, per Romani Pontificis confirmationem compleri debet. Nempe Christus uti voluit, ut toti Ecclesiæ unus aliquis cum summa autoritate præset; ita etiam statuit, ut alii essent Episcopi, qui in partem sollicitudinis venirent, gregesque particulares pascerent, non minus tamen subordinati ad Pontificem Maximum, ac cæteri Apostoli D. Petro subordinati fuerant. Quos igitur peculiares greges pascere deberent, non ipse Christus determinavit (qui tamen ad Petrum dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, h. e. Fideles omnes, universalem totius Ecclesiæ curam illi committendo) sed Vicario suo determinandum reliquit. Qui proinde uti duas pluresve Dioceses uni Episcopo adsignare potest, sive usum & exercitium Jurisdictionis augere, atque extendere; ita pariter, exigente publica vel necessitate vel utilitate Ecclesiæ eamdem Jurisdictionem restringendi habet facultatem. Spondent nimirum Fideles omnes in Professione Fidei obedientiam Romano Pontifici: & Apostolos dedisse præcepta Episcopis à fe constitutis, certum fit ex S. Literis, Episcopos autem imperasse Apostolis non legitur. Ad potestatem Legislativam civilem & politicam quod attinet: hæc quoque saltem in genere, & secundum se spectata immediatè à Deo promanat, juxta illud Sap. 6. *Præbete aures vos, qui continetis multititudinem . . . quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo.* Et Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Quibus consonat illud Apostoli ad Rom. 13. *Non est Potestas nisi à Deo.* Quodsi autem eadem potestas spectetur, quatenus est in hoc determinato homine, non vindicetur.

detur esse immediatè à Deo, saltem ordinariè, quia neque ex natura (nam spectata præcise natura humana datur plena inter homines aequalitas) neque ex divina institutione potestas legislativa penes hunc hominem residet. Igitur à populo est, id quod mirificè elucet ex diversa regiminis forma, qua quisque populus voluit gubernari. Quamvis ista aliquando mutari possit justis de causis, veluti cum populus justo bello subactus est, aut in pœnam perfidiae & seditionis factæ. Licet itaque Princeps verè gerat vicem Dei, atque ex Jure etiam naturali obligentur subditi, ut ipsi obedient; non tamen majore, nec ampliore gaudet potestate, quamquam quæ à populo in illum, vel Prædecessores ejus, ubi regnum hereditarium est, collata fuit. Qui oppositum sentiunt, electionem v. g. dicunt esse meram conditionem, qua posita Princeps electus ex ipso Jure divino habeat potestatem regendi subditos. Quo casu nulla prorsus erit dependentia Summæ Majestatis & potestatis à populo, & illustrior fortiorque erit ipsa potestas legislativa.

6) Romanus Pontifex per se, & directè ferre leges civiles potest in suo duntaxat territorio, cuius principatum temporale obtinet. Hinc recte NICOLAUS I. Can. 8. dist. 10. ait: *Christum ecclesiasticæ & politicæ potestatis officia discrevisse, nec Pontificem secularibus negotiis debere se immisere.* Corrigere tamen Principum leges potest, quodsi iniquæ sint, aut ecclesiasticæ immunitati noxiæ, tum quia Pontifici concredita est cura universalis Ecclesiæ circa ea omnia, que ad regimen Ecclesiasticum pertinunt tectumque servandum utilia vel recessaria sunt; tum quia juxta DD. Orthodoxos Jus Civile cedit Canonico, ubi de peccato agitur. Et ipsi adeo Gentiles hanc in Sacrificulis & Sacerdotibus suis potestatem venerati sunt.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Homo ex primæva naturæ suæ conditione est liber, & soli Deo Creatori ac Domino suo subjectus; igitur potestas legislativa humana ad-

438 DE LEGE HUMANA.

versatur conditioni naturæ humanæ. Quocirca etiam Principatus nonnisi per tyrannidem introduc-tus est, veluti de *Nemrod Gen. 10.* dicitur: *Ipse cœpit esse potens in terra . . . Fuit autem principium regni ejus Babylon.* Et de *Alexandro* scribit *LUCANUS*, eum felicem terrarum prædonem fuisse. *Resp.* Spectato Jure naturæ, atque naturæ humanæ conditione homo neque dominatum & Jurisdictionem in alios exercet, neque servitutem & subjectionem ad hominem habet: hinc autem primævo statui simul atque advenit status civitatis, in quo homines perfectam quamdam communitatem constituerunt, quæ esset quoddam corpus morale; jam elegerunt esse membra, quæ à capite dependebant; sicque facto proprio naturalem libertatem dimiserunt. Hæc tamen subjectio, quæ ab initio libera fuerat, in justam subinde necessitatem transit in regnis & principatibus hæreditariis, ne *Jus successorum* lèdatur ex pacto Majorum, vel etiam aliunde, veluti si populus justo bello subjugatus fuerit, quæsitum. Esto, aliqua regna per vim & tyrannidem introducta sint; at istud neque de regnis omnibus dici potest, cum Deus ipse Hebræis primum Duces, dein Judices, tandem Reges derit, penes quos rerum summa esset; neque tyrannis ad principatum pertinet.

Obj. II. Deus ipse in sacris Literis queritur de iis, qui humanis legibus diriguntur, & obtemperant. Sic *Isa. 29 Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem ejus longe est à me: & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.* Ergo. *Resp.* Deus conqueritur de populo, quod inanes & perversas scribarum tra-

ditio-

ditiones, plus quam Dei legem observare studuerit; atque idcirco cor populi longè erat à Deo. Clariora hæc sunt ex Matth. 15. ubi cum Christus v. 3. reprehendisset Scribas & Phariseos, dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* subjunxit v. 7. 8. 9. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaías dicens:* *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Obj. III. Iterum Isa. 33. legitur: *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Et Jacob. 4. *Unus est enim Legislator & Iudex.* Ergo potestas legislativa hominibus non competit. *Resp.* ad 1^{um}. Cùm regimen Reipublicæ Judaicæ Theocraticum esset, adeo, ut Deus ipse daret præcepta omnia, tam moralia, quam ritualia & judicialia; peculiari etiam modo Deus erat Iudex, Legislator & Rex Israëlitarum. Nihilominus tamen Israëlitæ debent obtemperare Regibus, eorumque mandatis de conserbendo milite, de solvendis tributis, de aliis obsequiis Regi exhibendis. Cæterà Deus habet potestatem legislativam supremam & independentem ab omni alio, cum illa Principum à Deo participata sit, divinisque constitutis subjecta. Ad 2^{dum}. Eodem modo, sc. de Legislatore & Judice summo intelligi possunt verba Jacobi, quia additur: *Qui potest perdere, & liberare; vel τὸ unus non singularitatem, sed idenditatem significat, sc. quod Deus uti legislator, sic etiam Iudex sit, ac proinde alius judicare non debeat, qui Legislator non est.* Ideo addit: *Tu autem quis es, qui judicas fratrem tuum?* *Obj.*

440 DE LEGE HUMANA.

Obj. IV. Ose. 8. dicitur: *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi eos.* Et Apostolus 1. ad Cor. 7. *Pretio, inquit, empti estis, nolite fieri servi hominum.* Et c. 8. *Unus Dominus.* Ergo. Resp. Ad I^mum. Hebræus habet: *Ipsi (Israëlità) Reges faciunt, & non ex me, h. e. secundum voluntatem meam: Principes constituunt, & non cognovi eos, h. e. non probavi eos.* Ad 2dum. Sensus est: Si liberti estis, nolite vos vendere in servos, quia hæc ci- vilis libertas decet Christi libertum, atque id com- modi adfert, ut promptius serviatis Christo. Nam v. 21. & 22. dixerat Apostolus: *Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, ma- gis utere.* Qui enim in Domino vocatus est ser- vus, libertus est Domini: similiter qui liber vo- catus est, servus est Christi. Nempe in toto hoc capite S. PAULUS varios hominum status instruit, qualiter se gerere debeant in sua ad Fidem vocatio- ne. An 3tium. Apostolus ostendit idolothyta nullius esse virtutis, quia nihil est idolum in mundo & quod nullus est Deus nisi unus. Et quamvis idolothytis vesci ex se illicitum non sit, neque exinde homo me- lior, aut peior fiat; edenda tamen non sunt vel repu- gnante conscientiâ, aut cum infirmiorum offendiculo.

Inst. Saltem in improbis non perseverat legum ferendarum potestas, quia teste Apostolo ad Rom. 13. *Quæ, sunt à Deo ordinata sunt.* Resp Quo tempore Apostolus hortabatur Fideles, ut homini- bus in potestate constitutis obedirent, hi erant in- fideles. Et quæ ratio sufficiens verba generatim posita ita restringendi? immo quæ Rerum publica- rum perturbatio inde nascitura? alia certè opinio hære-

hærebat in animis primorum Fidelium, de quibus S. JUSTINUS in *Apol.* ad *Antoninum Pium* ita scribit: *Tributa verò & census iis, qui à vobis constituti sunt, ubique imprimis conamur pendere, quemadmodum ab eo (Christo) instituti sumus . . . hinc Deum solum adoramus, vobis autem in aliis rebus lāti servimus, Regesque vos & hominum Principes confitemur.* Et S. POLYCARPUS ad Proconsulem ait: *Præceptum nobis est, ut Magistratibus & Potestatibus à Deo constitutis honorem debitum exhibeamus.* His accedit illustre *Plinii* testimonium de Christianis ad *Trajanum* scribentis, se nihil invenire, quo reprehendi Christiani possint de non servatis (exceptā Religionis causā) imperatoriis legibus. Merito igitur in Synodo CONSTANTIENSIS *Sess. 8.* damnatus fuit hic 15. articulus *Wicleffi*: *Nullus est Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* Denique hæc lectio: *Quæ sunt, à Deo ordinata sunt, nec Fonti græco, nec Vulgatæ consona est, sed ista semper obtinuit: Quæ enim sunt, sc. potestates, à Deo ordinatae sunt;* atque ita legendum esse suadet contextus. Quod autem verba illa non tantum consilii, sed etiam præcepti vim habeant, iterum patet ex consequentibus: *Necessitate igitur subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Obj. V. Esto, Principibus & Prælatis potestas legislativa competat; at ea duntaxat præcipere possunt, quæ in Jure divino jam continentur, ita ut penas constituere valeant, quibus subditi ad divini Juris observantiam impellantur; proinde nullas condere leges possunt, quæ sint præter materiam à lege divina jam determinatam. Ita Luthe-

Ee § rus

442 DE LEGE HUMANA.

rus & Calvinus. Resp. An igitur nova lex, eaque non divina, sed Apostolica non fuit, quam dedere Apostoli Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & sanguine, & suffocato?* Nonne præcepta de velandis mulieribus in templo, de jejunio quadragesimali, de Bigamis non ordinandis Apostolica erant? scribit præterea Apostolus ad Thess. 14. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum, h. e. per potestatem a Christo factam.* Et 1. ad Cor. 11. *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores esitis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

Inst. 1. Deus tam in V. quam in N. Lege præcepit, ne quid adderetur verbo suo: sic Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque minuetis ex eo.* Et Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ergo. Resp. Ad I. *Sensus est: Non addetis quidquam legi meæ repugnans, nec auferatis quid eam mutilando, & corrumpendo.* Sed & alia erat conditio legis mosaicæ, quam novæ: in illa enim per leges ceremoniales & judiciales ita provisum erat Regimini sacro & politico, ut nova lege humana opus non esset. At in ista sunt præcepta ceremonialia paucissima, judicialia vix aliqua, ideoque Prælatis Ecclesiæ sunt claves datæ, h. e. potestas ligandi & solvendi, regendique Ecclesiam. In Lege mosaica finis & officium Sacerdotum erat, ministrare, & sacrificare pro populo, cui implendo muneri satis erat habere potestatem ordinandi ea, quæ ad res sacras perfec-

pertinebant, & dubia fortassis occurrentia decidiendi, quæ ipsis etiam competebat ex c. 17. Deut. ubi Moyses ad populum: *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus. Nec tamen ideo in V. T. nullæ leges novæ sunt conditæ, quamvis non sine communi consensu populi, uti Esth. 9. Mach. 4. In N. autem T. Christus Ministros suos potestate legislativâ instruxit, ut patet ex num. 153. Ad 2dum Christus loc. cit. non excludit debitum servandi præcepta Ecclesiæ, & Prælatorum: immo hæc sua quodammodo esse satis declaravit dicens: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Et alibi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Inst. 2. Lex Evangelica per se ipsam sufficit ad salutem: tum etiam potestas legislativa humana præjudicat supremæ Christi Monarchiæ. *Resp.* Lex Evangelica ad salutem sufficit, si servatur tota: inter leges autem evangelicas est quoque ista, ut Fideles audiant Prælatos Ecclesiæ, iisque obtemperent. Ad 2dum. Cùm omnis Ecclesiæ, ejusque Pastorum Legislativa potestas à Christo seu Capite, & Monarcha descendat, atque instituta sit, quomodo cedere in præjudicium supremi Monarchæ potest?

Inst. 3. Christus Matth. 23. reprehendit Phariseos, quod alligent onera gravia & importabilia, & Marc. 7. ait: *In vanum me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum.* Ergo. *Resp.* Utraque hæc Phariseorum reprehensio fuit justissi-

ma,

444 DE LEGE HUMANA.

ma, qui non tantum onere legis mosaicæ, sed aliorum etiam præceptorum, & traditionum humana-narum pondere Judæos gravabant, cùm ipsi digito suo ea præcepta nollent movere, & mandatum Dei relinquerent. Unde v. 9. Christus dicebat illis: *Be-ne irritum fecistis præceptum Dei, ut traditio-nem vestram servetis.*

Inst. 4. Christus sustulit jugum legis veteris; igitur censendus non est dedisse potestatem homini-bus, novum cæteris jugum imponendi. Certè le-ges Canonicæ numero longè excedunt leges tam ce-remoniales, quam judiciales mosaicas. *Resp.* Post Leges Evangelicas prima veniunt Ecclesiæ præcep-ta: & horum quatuor duntaxat, aut quinque obli-gant Christianos omnes, sc. de servandis jejuniis, de Festis, de Confessione annua, & de Commu-nione paschali: & quidem duo posteriora præcepta solum determinant tempus, quo lex divina sit im-plenda. Reliquæ leges Canonicæ certos duntaxat hominum status adficiunt; Cùm contra L. V. præcep-ta omnes Israëlitas onerarent. S. AUGUSTINUS dum ep. 119. ait, Christum voluisse Religionem suam quam paucissimis Sacrementis esse liberam, hanc verò libertatem humanis observantiis adeò premi, ut tolerabilior fuerit Judæorum conditio, eoquod illorum præcepta, utut multa, divina ta-men fuerint; solum queritur de abusibus & consue-tudinibus, quas homines absque ratione & auto-ritate legitima introduxerunt, vel introducere me-ditabantur; subdit enim: *Omnia itaque talia, quæ neque Sacrarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statu-ta inveniuntur, nec consuetudine universæ Eccle-siæ*

*ſiae roborata ſunt . . . ſine ulla dubitatione re-
ſecanda exiſtimo.*

Inst. 5. Ex mente S. Bernardi Pontifices
carent judiciariā potestate, ait enim L. I. de Con-
ſid. *Non monſtrabunt, puto, qui hoc dicunt, ubi
aliquando Apoſtolorum aliquis Iudex ſederit.*
Ergo multo minūs gaudent potestate legislativa.
Resp. Atqui judiciariā potestate uſus eſt S. PAULUS
Fideles excommunicationis vinculo conſtrigens.
Itaque S. D negat Pontificem Judicis partes agere
debere in cauſis merē ciuilibus, nam addit: *Quid
ni contemnant iudicare de terrenis poſſeffiunculis
hominum, qui in cœleſtibus & Angelos iudicabunt?*

Inst. 6. Potestas Legislativa ecclesiastica facit
ſatum in ſatu, & plurimas ſemper turbas excita-
vit. *Resp.* Cur igitur Christus fundavit Eccleſiam?
cur Petro, & non Imperatori dixit: Tu es Impe-
rator, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam: Tibi
dabo claves regni cœlorum: Pasce agnos meos,
pasce oves meas? Regimen Eccleſiæ ſpirituale; igi-
tur diversi generis ab illo Reipublicæ ciuilis: hæc
illi in rebus ſpiritualibus ſubordinata, ſicuti Eccle-
ſia in rebus temporalibus & terrenis cedit Imperio.
Falso proinde eſt, quod jactitant *Proteſtantes*,
legislativam Eccleſiæ potestatem derogare Juri Im-
perantium ſummo legitime competenti; neque enim
Jus ſacrum ex ullo titulo potestati politice compe-
tit: temporali autem Principum regimini adeo non
derogat, ut illud potius conſirmet, rebelles ſubditos
ecclesiasticis quoque poenit castigando. Præterea
imperite objiciunt duo ſumma imperia, & natas
inde ciuim obligationes ſecum pugnantes, cum
illa imperia non in eodem, ſed in diuerso genere
ſint.

446 DE LEGE HUAMANA.

sint. Fuit sanè florentissimus semper regnorum & provinciarum status, quamdiu Sacerdotium cum Imperio concordia & amico fôdere sociatum fuit; neque publica felicitas perturbaretur umquam, nisi avtonomica libertas cum Luthero ejusque sectatoribus è tenebris prorepisset. Quod ulterius objicitur, leges ecclesiasticas plurim semper turbarum causam extitisse, iterum falsum est: nec enim leges, sed audax legum prævaricatio, sed contempsus, sed probrofa filiorum in sanctam matrem Ecclesiam impietas tumultus excitavit. Prò quantum nefas! Ecclesia à Christo fundata, sanctissimis Evangelii legibus munita, propagata ab Apostolis, Martyrum sanguine decorata, cuius supremum visibile caput est Christi Vicarius, quæ animarum salvatorem, ac sempiternam beatitudinem summo studio & curis maximis promovet; spirituale hoc Christi regnum postremo ubique fere loco habetur; quasi verò Christiani homines cum Judæis Messiam expectarent temporalem nonnisi felicitatem adlaturum.

«) Latas à Summis Imperantibus leges vim suam non habere à consensu, & acceptatione populorum, certum est, nam Potestas legislativa ecclesiastica immediate à Christo descendit, ut adeo nulla à populo dependeat; proinde & leges ecclesiastice vim suam omnem obligandi habent independenter à consensu populi. Similiter leges civiles ut actu obligent, non egent populi acceptatione extra Statum Democraticum, alioquin penes Principes in statu monarcho, vel penes Optimates in statu aristocratico non esset potestas legislativa, & frustra hortaretur Apostolus Fideles, ut Principibus, & Magistratibus obedient. Merito igitur ALEXANDER VII. damnavit hanc propositionem: *Populus non peccat, et si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgaram.* Atque istud quidem sapientissime ordinavit Deus: quodsi enim subditis da-

tuim

tum esset, Principum edicta & leges examini subjicere, quām fa. ilē repudiarentur omnes, quæ oneris quidquam imponerent? quoties subditi canerent seditionis classicum?

β) Promulgatione tamen opus esse, ut leges vim suam obligandi exerant, indubium est: Iquia lex non promulgata respectu subditorum se habet, tamquam si non existaret. Qualis autem promulgatio necessaria, sit controvētitur. De Legibus publicis Imperii facile convenit inter Autores, eas promulgari in singulis provinciis debere, nec eas obligare nisi post lapsum duorum mensium à promulgatione facta, uti habetur in Nov. 66. cuius rubrum est:
Ut novæ Constitutiones post insinuationes earum post duos menses valent. Major est controversia de promulgatione Legis Pontificiæ universalis, an nempe sufficiat Roma facta, an in singulis diocesisbus facienda sit, ut lex in actu secundo obliget. Qui posterius affirmant, ita discurrunt: spestata aequitate naturali ea requiritur legis promulgatio, quæ est medium sufficiens, ut subditi venire possint in notitiam legis authenticam, & observantia legis, atque uniformitas actionum prudenter sperari possit, maximè ubi lex ad omnes & singulos pertinet. Hujusmodi autem medium est duntaxat promulgatio in singulis Diocesisbus facta, ut satis patet. Deinde Lex ipsa Evangelica quamvis in die Pentecostes palam Hierosolymis facta esset, non idcirco jam tunc cōpit obligare Gentes, sed jussit Christus Apostolos, ut euntes in mundum universum prædicarent omni creaturæ. Suffragatur factum Apostolicum, cum nempe Apostoli Decretum in Synodo conceptum per Judæam & Si'am miserunt ad Fideles, qui erant Antiochiae & Ciliciae. Idem factum legimus in Synodis tam Oecumenicis, quām particularibus. Immo sunt, qui volunt non modo promulgationem in singulis Diocesisbus, sed etiam Episcoporum acceptationem necessariam esse. Cum enim Ecclesia per totum terrarum Orbem diffusa sit, nec Pontifex scire possit necessitates, consuetudines, & observantias Ecclesiarum particularium, mores, genium & indolem hominum, adeoque ignoret, an lex optatum fructum habitura sit; videtur similibus legibus tacita hac inesse conditio, si Episcopi acceptandas judicaverint. Quo tamen in casu Episcoporum erit, docere Pontificem, aut legis obser-

448 DE LEGE HUMANA.

servantiam cum summis difficultatibus conjunctam fore, aut prorsus inutilem futuram,

γ) Huic sententiae (inquit Cl. ZAHLWEIN Tom. I. Q. IV. C. II. §. VII. pag. 393.) hodierna praxis Germaniae sat aperiè suffragatur: quotusquisque enim Episcoporum Constitutiones & Bullas Pontificias à f. m. Benedicto XIV. ad ipsos transmissas, omnes & singulas aut acceptavit, aut promulgavit, aut non per varias clausulas restrinxit, limitavit? nempe Episcopi ipso iure divino sunt tales, & in partem sollicitudinis vocati: & Ecclesiae Regimen datum est in adificationem magis, quam destructionem, ideoque mihi sit oportet, mansuetum, charitate & humilitate plenum, moribus, genio ac ingenio hominum adtemperatum. Simul etiam pro Episcopis fortissima stat præsumptio, quod non sint futuri Pontifici refractarii, aut illius contemptuī leges, quodsi suis utiles Ecclesiis esse agnoverint.

δ) Idem Cl. Autor pag. 394 ita prosequitur: Denique quis nescit hodie in pluribus Regnis & Provinciis vigere *Placetum Regium*, vi cuius à Principibus Secularibus Bullæ Pontificiæ examinantur, supprimuntur, vel approbantur, secus nullam vim habituræ? quodsi talis ac tanta sit potestas Principum Secularium in leges ecclesiasticas; quidni dicamus requiri acceptationem Episcoporum, quorum humeris præcipue incumbit onus regendi Ecclesiæ; illisque omni meliori modo providendi?

ε) Ad *Placetum Regium* quod adtinet; ubi vel ex speciali privilegio, vel ex usu & consuetudine hactenus viguit, minime reprobandum est. Sicut autem tunc obtinet, quando Leges Pontificiæ aut contraria forent libertatibus Ecclesiarum iure obtentis, vel adversæ pactis & concordatis cum quibusdam Nationibus initis, vel aliquorum privilegiis publicis derogatum irent; ita nefas sit ad morum & Fidei dogmatæ illud extendere. Neque cum Religionis & disciplina ecclesiastice detimento conjungi debet. Videri potest Cl ZAHLVVEIN Tom. I. pag. 102. & pag. 177 ubi inter cætera adversus eos, qui Imperantium Ecclesiasticorum potestatem divinitus traditam justo angustioribus circumscripti, terminis moluntur, quique illud etiam valere contendunt pro casu, quo Decreta dogmatica promulganda sunt, ita loquitur: "Ratio Status ecclesiastici instar humili Agaris servi-

re cogitur. Si tantum haberent curæ zelantes isti pro Decretis politicis, ne in bonum publicum impingant, quantum pro Decretis ecclesiasticis; longè melius consultum foret rationi Status Politici . . Interim aliquoties *Placitum regium rectum habere usum posse*, tum præcipue, quando leges Pontificiae possent turbare publicum. Juribus Principum vel consuetudinibus legitimè introductis, quas abrogare non esset consultum, forent contrariae, haud diffiteinur. De abusu intelligi volumus.

QUAESTIO II.

Utrum Leges à legitimo Superiore latè obligent in conscientia Fideles etiam justos?

Calvinus L. 4. Inst. c. 10. de legibus, quæ præ- 154.
ter materiam Jure divino præscriptam ab hu- Erros
mana potestate feruntur, sic ait: *Hujus generis HH.*
ergo Constitutiones hīc impugnare animus est,
quæ in hoc feruntur, ut animas intus coram Deo
obligent, & religionem injiciant, ac si de rebus ad
salutem necessariis præciperent. Et Lutherus in
L. de captivit. Babyl. ita vociferatur: Clamo fidene-
ter, Christianis nihil ullo Jure posse imponi legum,
sive ab hominibus, sive ab angelis, nisi quantum vo-
lunt, liberi enim sumus ab omnibus. Inde nata est fu-
nestissima illa *avthonomica credendi libertas*, dum
uterque Heresiarcha quæ scriptis & prædicationibus,
qua civium ad seditionem contra Principes incitatis
animis èo conatus suos Sec. XV. provexit, ut scissa
in partes Christi Ecclesia, multis centenis homi-
num millibus per cruenta & diuturniora bella
è medio sublati, everrà tranquillitate publicâ, for-
tunis cum sanguine exhaustis, rerum diu desidera-
tarum per suos sequaces tandem potiti sunt Prote-
stantium Antesignani: qui ad perennem rei memo-

Tom. II.

Ff

riam

450 DE LEGE HUMANA.

riam pro novi sui Evangelii fundamento, hanc
sectoribus suis dedere tesseram: *Religio Jure na-
turali & Gentium ab omni humano imperio, &
potestate coactiva est libera.* Quam propositionem
nonnulli ex recentioribus protestantium Naturali-
stis restringunt: *dummodo Reipublicæ non obfit.*

155. Leges à Superiore five Ecclesiastico, five Civilis
Leges justæ latæ vim habent obligandi in conscientia. Nam Apo-
stolus ad Rom. 13. generatim dicit: Omnis anima
gant potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit,
in Dei potestati resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi
damnationem aduersunt . . Ideo necessitate subdi-
ti estote non solum propter iram, sed etiam pro-
pter conscientiam. Et de Prælatis Ecclesiæ Chri-
stus speciatim *Luc. 10.* pronunciat: *Qui vos sper-
nit, me spernit; qui autem me spernit, spernit
eum, qui misit me.* Dei autem contemptus cum
peccato semper conjunctus est: peccatum verò ne-
cessariò supponit obligationem conscientiæ, quæ
negligitur. Nempe Legislator humanus vices Dei
gerit, legesque condit pro potestate sibi à Deo con-
cessa; qui igitur leges humanas contemnit, Deum
ipsum contemnit. Et ipsum adeo Jus nat. dictat,
legitimo superiori justa imperanti parendum esse;
proinde legis humanæ prævaricator peccat in utrum-
que Jus divinum, naturale & positivum. Quam
languidæ, ac penè mortuæ forent humanæ legis vi-
res, nisi ipsis conscientiis vinculum injicerent?

a) Erronea est eorum opinio, qui legem huma-
nam omnem esse ajunt ipsam legem nat. casibus
particularibus applicatam, magisque evolutam. Et hoc
quidem falso affirmari de lege ecclesiastica, patet, nam
vra Religio, cui conservandæ ampliendæque serviunt
leges.

DE LEGE HUMANA. 451

leges Ecclesiastice, revelata est & supernaturalis; ac proinde ista nequit dici lex naturalis magis evoluta, quia hæc secundum se naturæ consona est, perque ipsum rationis lumen innoescit. Sed neque lex nat. eorum quidquam attingit, quæ à præceptis Ecclesiæ determinantur. Neque etiam lex civilis proprietates Juris nat. participat, utpote nec absolute necessaria, nec immutabilis, nec universalis. Aliud itaque est, leges humanas esse Juri nat. consonas; aliud esse legis nat. applicationem ad causas particulares Jure nat. præceptos vel prohibitos.

Fideles etiam justos teneri vinculo legis Ecclesiæ 156.
sticæ à legitimo Superiore latæ, est de Fide. Ita Fide. enim definivit Synodus TRIDENTINA Sess. 6. Cap. 20. Siquis hominem justificatum, O quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam legibus mandatorum Dei, O Ecclesiæ, sed tantum ad ec. credendum, quasi verò Evangelium sit nuda O cles. absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione dog. observationis mandatorum; anathema fit. Et ma est. Sess. 7. Can. 7. Siquis dixerit baptizatos per baptisum ipsum solius tantum Fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema fit. Et Can. 8. Siquis dixerit, baptizatos liberus esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea obserbare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint; anathema fit. Dixit nempe Apostolus ad Rom. 13. generatim: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . . non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. In quæ verba S. AUGUSTINUS ait: Siquis ergo putat, quoniam Christianus est, non esse fibi vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse

452 DE LEGE HUMANA.

*esse exhibendum débitum honorem iis, qui hæc ex-
stant, potestatibus, in magno errore versatar.*

¶ Professio Fidei nostræ sic habet: *Ecclesiæ observa-
tiones, & constitutiones firmissimè admitto, & ample-
ctor. Receplos & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus in
omnium Sacramentorum solemni administratione recipio
& admitto. Romano Pontifici veram obedientiam spondeo,
ac juro. Cetera item omnia à Sacris Canonibus, & eccl-
enicis Conciliis tradita recipio. Unde, & ex Can. 20.
& 8. cit. VERONIUS deducit sequentia:*

I. *Non esse de Fide, Ecclesiæ, seu ejus leges, aut
foriori leges Principum secularium, posse obligare, aut
de facto obligare conscientias sub peccato mortali, quia
non habetur in Professione nostra aut in Tridentino,
quod Ecclesia, aut Magistratus Civilis habeant talēm po-
testatem obligandi sub peccato mortali, nec quād leges
dictæ, aut quāvis aliæ ecclesiasticæ, aut civiles obligent
ita de facto sub poena inferni. Fuerunt sanè tot docti-
simi TT. in Concilio, qui non ignorabant, quid Augu-
stana Confessio sentiret; quām etiam variè Scholasticī
loquerentur; siluit tamen de hac re Synodus: quo silen-
tio tacitè declarasse videtur, non esse hæc de Fide.
Evidem verum est, sequi certò hanc veritatem ex prin-
cipio aliquo revelato, seu mediate; at non ideo de Fi-
de Catholica est, quia ab Ecclesia expressè non est defi-
nitæ; cuiusmodi expressam definitionem requirit VE-
RONIUS, ut aliquid sit de Fide obligante & catholica.
Quin VASQUEZ 2. 2. disp. 158. c. 1. ait, probabilius
sibi videri, Legem humanam, sive ecclesiasticam, sive
civilem, quatenus humana est, & à sola potestate huma-
na profecta, non posse ad culpam mortalem obligare,
eoquod nullus Legislator possit lege suâ ad eam obliga-
re pœnam, quam ipse non potest infligere in suo tribu-
nali. Quamvis ex hypothesi legis humanæ, aut posito,
quod lex humana, ecclesiastica aut civilis, aliquid præ-
ceperit ex intentione præcipiendi, & non solum diri-
gendi, vel ordinandi per modum consilii, superveniat
lex divina, jubens obediē Superioribus ecclesiasticis &
politici.*

politiciis, parentibus & dominis, quæ lex divina superveniens obligare potest, & obligat ad peccatum etiam mortale, & ejus transgressio reos nos facit poenæ æternæ.

II. Non esse de Fide, de ullo præcepto purè humano, illud obligare sub reatu culpæ mortalis, v. g. esse obligationem audiendi Missam diebus dominicis, vel communicandi in Paschate, &c. coquod præceptum hoc ipso, quod purè humanum sit, non sit à Deo revelatum, neque etiam Ecclesia ullum proponit tamquam in verbo Dei revelatum. Si autem non est revelatum à Deo, extare præceptum tale; multò minus revelatum est, quod obliget sub peccato mortali. Etsi verissimum sit extare hujusmodi præcepta, & in Ecclesia potestatem esse ferendi illa sub obligatione peccati mortalis mediata, si intentione verà præcipiendi hæc sanciat. Ecclesiam verò habere intentionem verè præcipiendi, patet ex sensu communi, & interpretatione. Patet itaque jejunia Ecclesiae v. g. obligare sub peccato mortali ex communi interpretatione.

III. His positis ulterius sic arguit VERONIUS: In quo igitur potest esse dissensio Protestantes inter & Catholicos, cùm illi negare non possint præceptum divinum obediendi Præpositis spiritualibus, Regibus, Magistratibus, parentibus; immo cùm Calvinus ipse L. 2. c. 8. §. 58. doceat: *Ubi est transgressio legis Domini, ibi parata est maledictio Dei. Omne peccatum est mortale, cùm sit rebellio contra voluntatem Dei, quæ necessariò provocat iram ejus, cùm sit transgressio legis, in quam denunciata est mors æterna sine exceptione ulla.* Neque nos alio, quam ex præcepto illo divino, seu mediata leges humanas obligare posse sub reatu culpæ mortalis adserimus.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Forum conscientiæ est forum solius Dei, quia solus Deus cognoscere, & dijudicare de iis potest, quæ in conscientia latent; igitur homo nequit gravare conscientiam. *Resp.* D. C. Autorita-

454 DE LEGE HUMANA.

re merè humanâ. C. In quantum Dei minister est, à quo potestatem habet ferendi leges, quibus obtemperare Deus ipse præcepit. N. C. Mireris esse ex TT. nonnullos, qui legibus humanis vim tribuant, immediate obligandi conscientias, cùm tamen communis omnium vox sit, absente, per hypothesin impossibilem, lege Dei æternâ nullam dari obligationem conscientiæ, & cuiusvis humanæ legis transgressionem cum peccato formali conjunctam in tali hypothesi non esse. Finge nullam dari legem divinam, quæ jubeat obedire mandatis hominum: quis tum conscientias gravatas dicet? Itaque Deus est, qui conscientias ligat, qui poenias promeritas decernit in eos, qui legem humanam violarunt, eoque simul legis fuerint prævaricatores. Homines autem Legislatores, sive ecclesiastici, sive civiles mediatè, mediante videlicet Dei lege, quæ jubet potestatibus sublimioribus subditos nos esse, obligare in conscientia dicuntur. Ita multi.

Inst. Ergo etiam Legislator humanus non poterit præcipere actus internos, ac proinde præcepto ecclesiastico v. g. Confessionis satisfieri posset per actum merè externum, quod damnatum est ab ALEXANDRO VII. in hac propositione: *Præcepto ecclesiastico Confessionis satisfit pro confessionem voluntariè nullam.* Item INNOCENTIUS XI. damnavit istam: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.* *Resp.* Præceptum annuæ Confessionis non est merè ecclesiasticum, sed est modificatio præcepti divini facta ab Ecclesia. Cùm enim Christus præceperit, ut non raro in vita suscipiatur à peccatoribus Sacramentum poenitentiæ; præcepit Ecclesia, ut saltem

tem semel in anno frequentetur. Quod idem tenet de præcepto Communionis paschalis. Sicut igitur non satisfit præcepto Confessionis in articulo mortis per confessionem voluntariè nullam, quia tunc præcipitur Jure divino valida Sacramenti suscep^{tio}; ita neque aliàs satisfit, quia pariter præcepto divino radicaliter ad confessionem validam obligamur, & solum ab Ecclesia determinetur tempus, quo debet suscipi. At esto: sit præceptum merè ecclesiasticum; adhuc illi non satisfit per confessionem voluntariè nullam, quia Ecclesia præcipit suscep^{tio}nem Sacramenti, adeoque Confessionem ejusmodi, quæ digna sit absolutione tamquam sine præcepti intrinseco; talis autem non est confessio voluntariè nulla. Sed & diversa sunt, Ecclesiam habere potestatem præcipiendi actus internos, & posse obligare in conscientia sub reatu culpæ, præsertim mortalis: nam prius illud ad potestatem *directivam*, posterius ad *coactivam* pertinet: potest autem penes Ecclesiam esse potestas directiva etiam in foro interno, quin in eodem foro coactiva potestas competit. Atque illi directivæ potestati satis consultum est, si positâ lege ecclesiasticâ Deus ipse Fideles obliget sub reatu culpæ & pœnæ æternæ.

v) Utrum Legislator humanus præcipere actus internos possit? inter TT. disputatur. Legislatorem civilem non posse internos actus *directè* præcipere, plurimi facilè admittunt, cùm finis politicæ potestatis sit procurare felicitatem externam, & temporalem, quæ per actus externos bene ordinatos sufficienter obtinetur. Sunt tamen, qui velint, eundem saltem *indirectè* actus quoque internos præcipere post, quatenus isti ad actum externum rite ponendam aliquando necessarii sunt. Inde fit, ut Jura v. g. ad contractum legitimum requirant

456 DE LEGE HUMANA.

consensum internum, & liberum à metu & dolo. Posteriori igitur Jure eadem potestas similes actus præcipiendi tribuenda est Ecclesiæ, & Legislatori ecclesiastico, cuiusmodi sunt intentio Ministri requisita ad Sacramentum validè administrandum, reverentia ac pietas animi interna in audienda Missa: certè si quis, dum Missa celebratur, sit in Ecclesia, non ut Missam audiat, sed ut amicum exspectet, præcepto Ecclesiæ non satisfacit. Sic etiam Ecclesia, ubi præcipit orationem vocalem, simul attentionem internam præcipit, sine qua oratio non est actus religionis. Immo VIVA probabilius censer cum plurimis, Ecclesiam meros actus internos præcipere posse, coniquid hæc potestas magis conducat ad Fidelium directionem in ordine ad salutem æternam & majorem divinæ legis observantiam, sicut ob eamdem causam collata fuit Ecclesiæ potestas in votis internis dispensandi. Quocirca potest Ecclesia sub excommunicationis poena ipso facto incurrienda prohibere actum aliquem internum, v. g. nequis idem Sacrificium applicet ad satisfaciendum duplice obligationi ex justitia; & de facto c. 7. 8. & 17. dist. 30. excommunicatur, qui jejunia communia pavaverit contempnenda, aut die dominico jejunaverit in ejusdem diei contemptum, aut ex interna superstitione, ubi contemptus & supersticio sunt actus tantum interni.

Obj. II. Fideles justos à vinculo legum humanaarum immunes esse non uno in loco affirms Apostolus. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. ad Rom 6. Si spiritu ducimini, non estis sub lege. ad Gal. 5. Justo non est lex posita, sed in iustis. I. ad Tim. 1. Subintroierunt (falsi fratres) explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. ad Gal. 2. Ipse Christus ad Apostolos Luc. 22. dixit: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. Et Matth. 17. cum PETRUS ad interrogatio-

tionem Christi: Reges terræ à quibus accipiunt tributum? respondisset: ab alienis; Dominus respondit: ergo liberi sunt filii, sc. à tributo & potestate politica. Resp. Ad 1^{um}. Vel sensus est, Fideles non esse sub jugo legis Mosaicæ, sed sub lege gratiæ; vel Fideles justos non debere sequi concupiscentias malas, eoque per gratiam sanctificantem sint filii Dei adoptivi. Cùm enim v. 12. dixisset Apostolus: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; v. 14. addit: Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege (peccati) estis, sed sub gratia. Ad 2^{dum}. Similiter vel sensus est: Quodsi spiritu (Dei) ducimini, non estis sub lege, peccati, nam v. 17. præcedente dixerat: Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hac enim sibi invicem adversantur, ut non, quæcumque vultis, illa faciatis. Vel sensus est, eos, qui spiritu amoris divini aguntur, non esse sub lege terrente, quia spiritu amoris impellente non sentiunt difficultates, aut promptè faciunt præcepta legis. Ad 3^{tium}. Lex justo non est posita, h. e. Justus non habet, cur pœnas timeat, quas lex comminatur, & infligit, nam v. 8. præcedente dixerat: Scimus autem, quia bona est lex, si quis cù legitime utatur. Et sequitur: sed iustis: hi enim pœnas à lege constitutas experientur. Ad 4tm. Apostolus ibi reprehendit eos, qui libertatem Christianam per Christum Mediatorem acceptam legis mosaicæ vinculo & servitute restringere, aut etiam evertere conabantur. Ad 5tm. Christus dehortatur Apostolos, ne ambiant terrenum Principatum: & si quis eorum major fo-

Ff 5 ret,

458 DE LEGE HUMANA.

ret, ut cum humilitate & mansuetudine cæteris præcesset. Ad 6tum. Textus habet: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* igitur loquitur de filiis Regum naturalibus, significans, quod si Regum filii immunes sint à tributo, se quoque ab eodem liberum esse, cum sit ipse Filius naturalis Regis Regum. Et de Christo questi fuerant telonarii, quod tributum non solveret. *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma acceperunt, ad Petrum, T dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma.* v. 23.

3) Leges humanas non obligare subditos, per se loquendo, cum graviore incommodo, satis receptum est inter TT. quia de æquitate Legislatoris recte præsumitur, eum non voluisse legis vinculo constringere subditos, siquod gravius vitaे aut sanitatis documentum immineret. Hinc ægrotus excusat ab obligatione audiendi Missam die dominico, aut festo. Excipe, si causa Fidei, aut Religionis agatur, tunc enīm præstat mori, quam negare, aut simulare Fidem, vel in religionis contemptum quidquam agere. Item si agatur de bono rotius communitatis: hinc miles stationarius etiam eum vitaे periculo persistare debet. Neimpe causa Religionis fortior est quovis alio vinculo: & potior habenda est ratio boni publici, quam privati. His adde, si transgressio legis cum scandalo conjuncta foret, quia ruina animæ gravior est quavis jacturâ rei temporalis. Hinc Eleazar potius elegit mori, quam suillæ carnis comedio-
ne vitam servare.

4) Legislator etsi directè suis legibus non teneatur: nec enim teneri potest vi coactiva, quia Superiorem non habet, à quo puniri possit; neque directivâ, quia erga se ipsum nec Jurisdictionem habet, nec subjectionem; iisdem tamen indirectè obligatur, videlicet ex quadam decentia, & æquitate naturali, quæ exigit, ut caput toti corporis

corpori conformetur. Quæ tamen obligatio non videatur esse gravis, nisi alioquin sequeretur grave scandalum, aut magna perturbatio, aliudve grave incommodum Republicæ. Si autem lex fertur à pluribus v. g. à Magistratu, quem plures constituunt, quisque tenetur etiam directè, quia singuli seorsim non sunt conditores legis, sed se habent veluti membra totius communitatis. Sunt tamen quandoque leges, quæ solos subditos & cives respiciunt: atque has observare non decet Principem, ut si prohibeantur subditi, ne gladium portent, aut vestibus inauratis induantur.

¶ Peregrini et si teneantur legibus communibus, ubi cunque sint (nisi forte in loco, ubi degunt, abrogata sint, aut per dispensationem remissa; tunc enim eodem cum incolis loci privilegio frui possunt) legibus tamen particularibus sui domicilii non obligantur, nam illæ supponuntur esse locales: Jurisdictio autem Legislatoris, se non extendit ultra illius territorium: & extra territorium *Jus dicenti impunè non paretur.* Itaque peregrinus non tenetur celebrare festa, nec servare jejunia specialia suæ patriæ. Secus si lex personalis foret, constringens personam ubi ubi degentem. Sic excommunicatus ab Episcopo manet tali vinculo innodatus, ubi cunque versatus fuerit. Sed quid, si quis eo fine egreditur territorio suo, ut in alieno v. g. earnes licet comedere possit? Resp. Cùm utatur jure suo, non peccat contra legem abstinendi à carnibus. Secus si Legislator universalis aliud exprimat, uti *Urbanus VIII.* speciali Decreto prohibuit exire ad locum, in quo *Tridentinum* promulgatum non est, ad contrahendum ibidem matrimonium clandestinum, nam tale matrimonium irritum declaravit. Neque etiam peregrini tenentur legibus locorum, per quæ transiunt, aut in quibus modico tempore morantur, eo quod subditi non sint. Secus si ad talē locum accesserint cum animo figendi ibi domiciliū, aut quasi; aut si lex universalis sit, etiamsi hæc in patria fuisse abrogata, quia hoc privilegium erat duntaxat locale; aut si transgressio legis particularis cederet in scandalum, vel dampnum privatorum illius loci; vel si pro peregrinis specialiter lata sit, nam isti eo ipso quis

460 DE LEGE HUMANA.

quis sese subjicit, quo in tali loco degit; vel denique si lata fuerit lex in bonum illius loci ob necessitatem publicam, v. g. ne merces extrahantur. Qui contrahit, vel delinquit in loco, ibidem fortitur forum, & tenetur stare legibus, vel consuetudine contrahendi. His autem privilegiis gandere non debent vagi; hi enim cum nullibi sedem fixam habeant, acquirunt quasi domicilium, ubicumque degunt, ideoque legibus particularibus locorum obligantur.

¶) Interpretatio legis est declaratio, quomodo intelligi debeat, & utrum casum in questionem vocatum comprehendat. Alia est *authentica*, quae fit ab ipso Legislatore, aut successore illius, vel ab alio potestate delegata habente; atque haec vim legis obtinet. Alia *usualis*, quae per usum & consuetudinem obtinet, iuxta illud: *Consuetudo est optima legum interpres*, eaque rursus vim legis habet. Alia *doctrinalis*, quam facunt DD. & JCTI. Ita vim legis non habet, quamvis eam, ubi satis fundata est, sequi liceat. Haec est vel *extensiva*, quando legem extendit ad easam, vel personam lege non expressam; aut *declarativa*, dum verba obscura explicantur, aut ostenditur casum queindam, vel personam lege comprehendit; vel *restrictiva*, cum propter peculiares circumstantias Legislatoris mentem benigne interpretamur, quod sc. hunc casum non voluerit lege sua comprehendere. Dicitur haec *Epiikia*. Cetera interpretatio doctrinalis fieri debet juxta mentem Legislatoris. Si itaque verba legis clara sunt, vel aliunde constat de mente Legislatoris, huic interpretationi (si restrictiva non est) locus non est, sive lex odiosa sit, sive favorabilis. Si verba legis dubia sunt, aut dubium est, utrum casus lege comprehendatur; lex odiosa ad illum extendi non debet.

¶) Commune dictum est, *odia restringenda, & favores ampliandos esse*, eoquod de Principe beneficium potius, quam odium presumi debeat: ut adeo in dubio etiam, utrum lex odiosa sit, an favorabilis, posterius presumendum sit. Censetur autem lex odiosa, quae gravat illum, cui fertur, licet aliis faveat. Sic leges penales & de tributis habentur onerosas, etsi in bonum publicum

blicum cedant. Ex opposito gratia & privilegia Principum dicuntur favorabilia iis, quibus conceduntur, tametsi aliis, qui privilegia tolerare debent, oneri accidunt. Privilegium vero est exemptione à lege: aliud est *locale*, quod loco adnectitur; aliud *personale*, quod unius vel pluribus personis conceditur; hoc cum persona extinguatur, cum locale sit perpetuum. De utroque participat, quod alicui Corpori. veluti Capitulo datur, nam eali privilegio & quodlibet Capituli membrum gaudet, & perpetuum manet, quia Capitulum non moritur.

3) Dispensatio est actus potestatis legislativæ, quo persona particularis ab obligatione legis eximitur, ceteris vinculo legis constrictis. Differt à privilegio, quia hoc est perpetuum, illa solum ad tempus concessa. Porro cum dispensatio sit exemptione à lege, habetur tamquamculus legis, ideoque strictæ interpretationis est; quamvis potestas dispensandi sit res favorabilis, utpote beneficium illius, à quo dimanat. Dispensare in lege sua quisvis legislator potest, uti & Superior, aut Successor illius, ac si etiam, quibus dispensandi potestas delegata est. Hinc Papa in omnibus legibus ecclesiasticis, Episcopus in Constitutionibus diocesanis, dispensare potest: non tamen Archi-Episcopus in legibus Synodi Provincialis, quia hujus autoritate latæ sunt, quâ illa Archiepiscopi Superior non est. Dispensationes ut licitæ sint, debet adesse justa ratio dispensandi. Quod S. BERNARDUS L. 3. de confid. c. 4. præclarè significavit his verbis: Non sum tam râdis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Nec solum absque legitima causa dispensans peccat, sed etiam & magis peccat, qui dispensationem absque justa ratione petit, & quidem graviter, quodsi in gravi materia dispensari postulet. Invalida prorsus habetur dispensatio obtenta vel subrepietiæ, h. e. per reticentiam veritatis alioquin exprimendæ, vel obrepitiæ, h. e. per expressionem falsi, ut signis morbum vel ægritudinem simulat. Cessat dispensatio etiam legitimè obtenta, vel revocante illam, qui

462 DE LEGE HUMANA.

qui dedit, vel cessante causâ finali adæquatâ. Censetur autem causa finalis, si unica fuerit expressa, aut quam solam legitimè allegavit perens dispensari.

*) Lex cessat 10. cessante fine legis intrinseco & ad quato respectu totius communitatris: sicut enim lex ab initio non subsistit sine causa publicæ necessitatis, vel utilitatis; sic absque eadem causa non perseverat. Secus, si finis duntaxat extrinsecus cessat, qualis in lege jejunii v. g. est corporis afflictio. Idecirco lege jejunii adhuc tenentur, qui carnem spiritui subjectam habent, quia manet specialis honestas ex observantia hujus legis. relucens. 20. Per abrogationem à Legislator, aut ejus successore factam, quia per quas causas quid nascitur, per easdem tollitur. Potest etiam Legislator inferior abrogare legem a se conditam, etsi à Superiori confirmata fuerit: hujusmodi enim confirmatio, saltem regulatrix, videtur esse beneficium, ut ad eo potestate in inferiorem non minuat, nec restringat. 30. Consuetudine contraria. Est autem consuetudo Jus non scriptum diuinis populi moribus introductum cum aliquo Legislatoris consensu. Alia est prater legem, per quam introducitur novum Jus, & obligatio, b. e. ejusmodi, de qua lex nulla antea extabat. Et de hac fertur pronuntiatum: *Consuetudo vim legis haberet*. Alia est contra legem, per quam Jus & obligatio prius existens tollitur vel ex toto vel ex parte. Contra legem diuinam, sive naturalem, sive diuinam nulla consuetudo locum habet, quia Deus omnes & singulas legis suæ transgressiones prohibet, quin umquam in abrogationem illius consentiat. In humanis etiam quod contra bonos mores sit, aut contra leges fundamentales, & publicam felicitatem, potius corruptela censetur. Consuetudo generatim debet esse rationabilis, & actus, quibus introduceitur, debent esse notorii & uniformes, ut sciri possit, quid populus servari velit; debent fieri cum animo inducendi consuetudinem obligatoriam, adeoque voluntarie & scienter ponantur. Circa numerum actuum à Jure nihil determinatum est: igitur prudentium judicio standum est. Communiter exigitur decennium: quod tamen spatium in civilibus duntaxat sufficere videtur, eum in rebus ecclesiasticis proba-

probabilius requiratur spatium 40 annorum; cui sententia favet, quod de præscriptione dicitur. Necessum autem est, ut nulla hoc tempore facta interruptio fuerit, quæ facta censetur, si vel superior transgressores legis puni- verit, aut legem servaverit major pars communitatis.

Q U A E S T I O III.

Utrum Potestati politicæ competat Jus circa Sacra?

Constans semper atque indubitata Catholicorum omnium sententia, & doctrina fuit, Ecclesiasticam esse Societatem inæqualem perfectam, adeo que in Ecclesia dari Hierarchiam perfectam ab ipso HH. Christo institutam, cum imperio ac potestate ferendi leges, controversias dirimendi, cogendi mediis spiritui Ecclesiæ proportionatis, & quidem Fideles omnes, quotquot per sacrum baptisma Ecclesiam ingressi sunt. Antiquissimo huic Orthodoxorum systemati de Statu Ecclesiæ novum opposuere prætensi Reformatores à tempore funestæ reformationis duce Lutherò, volentes, Rempublicam ecclesiasticam esse meram societatem æqualem, omne imperium, & potestatem Pontificum, & Episcoporum penitus excludendo, eamque in Ecclesiam & omnia Sacra cum omnibus Juribus ecclesiasticis in suos Principes territoriales transferendo. Quidem speciosis hisce Reformatoribus jam olim præverant antiquissimi Sectarii, *Donatistæ & Novatiani*, postea *Albigenses*, *Waldenses*, & præcipue *Wicleffistæ*, & *Hussitæ*, & quotquot contra autoritatem Ecclesiæ potissimum Romanæ tela sua scuerunt, in id maximè intenti, ut Pontificatum

Roma-

464 DE LEGE HUMANA.

Romanum ex Orbe universo proscriverent; at non alii majore strepitu res suas agere conatis sunt, quam Protestantes, his tesseris seditiosè usi: *Cujus est Regio, illius est Religio. Non datur Status in Statu.* Nec quieverunt ante, quam in P. W. Instrumento, Episcoporum Jurisdictione suspensa, Principibus secularibus *Jus in Sacra, Jus reformati* cederetur. Quamvis autem Protestantes hoc suo facto satis ostenderent, Ecclesiam non esse nisi Collegium vel societatem aequalē; de syste-
mate tamen istiusmodi nullus tunc erat, qui cogi-
taret. Primus istud concinnavit Samuel Puffendor-
fius in suo opusculo de habitu Religionis, uti te-
statur Matthæus Pfaffius inquiens: *Nemo ante Puffendorfum fuit, qui Jus ecclesiasticum Protestantium certis regulis fundamentalibus superfrueret: hic primus fuit, qui Ecclesiam non nisi Societatem & Collegium aequale in civitate erectum esse docuit, tradidit, & monstravit.*

I58. Potestas in Sacra definiri potest facultas moralis
Pote-
tas in
Sacra. ad Dei cultum, & animarum salutem ordinata. Sacra autem hoc loco intelliguntur ea, quæ vel ad Sacra-
menta pertinent, vel ad regimen internum conscientiæ, vel ad disciplinam Ecclesiæ & Jurisdi-
ctionem externam. Inde triplex in Ecclesia pote-
tas distinguitur: *Ordinis videlicet, Jurisdictio-
nis interioris & exterioris.* Prima Sacramento-
rum confectionem respicit, veluti conferre Ordines, Eucharistiam conficere, & ministrare. Alte-
ra conscientias ligat, & solvit. Tertia res Fidei
morumque controversas dirimit, cogit Synodos,
Ecclesiæ ministros constituit, & delinquentes pœnis
spiritualibus castigat.

Datur

DE LEGE HUMANA. 465

Datur in Ecclesia Hierarchia perfecta divini- 159.
tus instituta. Dantur enim Principes Ecclesiasti- Hie-
ci potestate legislativâ à Deo instructi, cui Fideles rar-
omnes in causis ad spiritale animarum regimen per- chia
tinentibus ex divino Jure subjecti sunt; ac proinde cles.
datur ordo Superiorum & inferiorum cum perfecta Ec-
subordinatione. Dari Principes & Prælatos Jure
divino Ecclesiasticos ad id specialiter deputatos, ut anima- con-
rum curam habeant, nec ipsi Protestantes negare stitu-
audent, qui Presbyteris Doctoris saltem & Medi- ta.
ci partes esse proprias largiuntur; hos autem Præla-
tos ex divina ordinatione constitutos esse, palam
fit ex sacris Literis, I. ad Cor. 12. Et quosdam
quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos
secundò Prophetas, tertio Doctores . . . Num-
quid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ?
numquid omnes Doctores? Præterea hos Prælatos
potestate regendi Ecclesiam divinitus instructos fuis-
se, palam fit tum ex verbis Christi Matth. 16.
*Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo
Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævale-
bunt adversus eam.* Et tibi dabo claves regni
cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram,
erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris
super terram, erit solutum & in cælis. Item
c. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis
super terram, erunt ligata & in cælo: & quæ-
cumque solveritis super terram, erunt soluta &
in cælo.* Et Joann. 21. *Pasce agnos meos . . .
pasce oves meas.* Et c. 20. *Sicut misit me Pater,
& ego mitto vos.* Hæc cùm dixisset, insufflavit,
& dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quo-
rum remiseritis peccata, remittuntur eis;* & quo-

Tot. IL

Gg

rum

466 DE LEGE HUMANA.

rum retinueritis, retenta sunt. Iterum Matth.
28. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes
eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-
eti: docentes eos servare omnia, quæcumque man-
davi vobis. Ex quibus omnibus manifestè patet,
Christum Apostolos ad ministerium spirituale de-
stinasse, atque illis dedit potestatem regendi ani-
mas, & Ecclesiam, & quidem cum superioritate
& autoritate non solum directivâ, sed etiam coa-
ctiva: hæc enim maximè necessaria erat ad regimen
Ecclesiæ, ad quam ex omni tribu, lingua, popu-
lo & natione homines erant convertendi, ut quos
spiritus amoris, & propriæ salutis studium intra
mandatorum fines non continerent, pœnarum spi-
ritualium timor coërceret. Ecclesiæ Prælatis
necessaria erat potestas legislativa, ut, quæ à Chri-
sto sibi tradita circa administrationem Sacramento-
rum, circa Fidelium mores (nec enim omnia scri-
pta sunt, quæ præcepit Christus) aut quæ propriâ
suâ autoritate circa disciplinam Ecclesiæ ordinarent,
vim & efficaciam haberent. Atque hanc potesta-
tem abunde expressit Christus per *claves*, quas Pe-
tro sese daturum promisit, item per verba, *solvere*,
ligare, quæ amplissimè prolata jurisdictionem non
internam modò, sed etiam externam significant.
Id quod invictè demonstrat perpetua praxis omnium,
quotquot Ecclesiam, sive universalem, sive parti-
cularem regendam umquam suscepserunt; nec nisi
rebelles & perfidi Christiani hanc Prælatorum pote-
statem in dubium vocare ausi sunt. Fideles quoque
habere debitum & obligationem ex Jure divino ob-
temperandi legitimis suis Pastoribus, constat ex
verbis Christi *Luc. 10. Qui vos audit, me audit:*

G

DE LEGE HUMANA. 467

O qui vos spernit, me spernit qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Dependent igitur Fideles à Superioribus Ecclesiasticis perfectam dirigendi, imperandi & cogendi potestatem habentibus, quæ Hierarchiæ perfectæ certissima argumenta sunt, & quidem ex divino Jure dependent; proinde illa divinitus constituta est.

Jus Sacrorum non competit Potestati politicæ 160.
ex natura rei, seu vi status naturalis. Nam po- *Jus*
testas Jurisdictionis sacræ non est Juris naturalis. Sa-
1^o. quia hæc respicit finem supernaturalem, qui est cro-
directio animarum per media spiritualia ad salutem rum
æternam, cùm natura non respiciat nisi finem com- non
duntaxat naturalem. 2^o. Potestas naturalis ortum petit ex Ju-
habet à Deo tamquam naturæ Autore: ecclesiastica Pot-
verò potestas descendit à Christo ut Autore gratiæ, tati
& Capite Ecclesiæ, quam Sanguine suo adquisivit, polit.
3^o. Objecta potestatis ecclesiasticæ sunt spiritualia, re ex Ju-
veluti principia Fidei & morum, Sacra- nat.
tiæ divinæ, & similia, quæ effectus producunt extra naturæ sphæram positos; igitur à potestate na-
turali politica attingi nequeunt. 4^o. Si potestas in
Sacra est Juris naturalis, igitur ethnicis quoque Imperantibus competenter facultas disponendi regiæ
autoritate circa Fidem, Religionem. Sacra-
menta, ac cætera Ecclesiæ negotia, nam eadem est potestas
secularis apud Principes Christianos, & ethnicos,
siquidem & his, & illis æqualiter parendum esse
docet S. Scriptura. Istud autem quām absurdum
sit, nemo non intelligit.

Potestas circa sacra non competit Potestati politicæ 161.
ex Jure divino veteri. *Jus Sacrorum in L. V.* Ne-
complectebatur tam ea, quæ ad cultum divinum que-

468 DE LEGE HUMANA.

re V. externum pertinebant, veluti sacrificia, & cere-
 monias, quām illa, quæ ad Jurisdictionem, alia-
 que Jura ecclesiastica spectabant: sub utroque au-
 tem aspectu idem Jus penes Sacerdotes erat, ac præ
 cæteris Summo Sacerdoti & Pontifici maximo com-
 petebat, Tribu Leviticā ad hoc specialiter destina-
 ta, ut curam Sacrorum cum potestate haberet,
 cum exclusione Regum & Principum. Quocirca
Saul Rex, qui holocaustum & pacifica obtulerat,
 à Samuele graviter reprehensus fuit 1. Reg. c. 13.
*Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei
 tui, quæ præcepit tibi: quod si non fecisses, jam
 tunc præparasset Dominus regnum tuum super
 Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum
 tuum ultra consurget.* Rex *Orias* cùm incensum
 super altare thymiamatisadolere vellet, statim in-
 gressus post eum *Azarias* Sacerdos: *E*cum eo
*Sacerdotes Domini ocloginta, viri fortissimi, re-
 flitterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui offi-
 cii Ozia, ut adoleas incensum Domino; sed Sa-
 cerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecra-
 ti sunt ad hujusmodi ministerium.* Cumque Rex
 à proposito non desisteret, statim orta est lepra in
 fronte ejus coram Sacerdotibus in Domo Domini,
 fuitque leprosus usque ad diem mortis suæ. 2. Pa-
 ral. 26. *Si difficile E ambiguum apud te judi-
 cium esse perspexeris inter sanguinem E sanguinem,
 causam E causam, lepram E lepram, E
 iudicium intra portas tuas videris verba variari:
 surge E ascende ad locum, quem elegerit Domi-
 nus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici
 generis, E ad Judicem, qui fuerit illo tempo-
 re . . . qui autem superbierit nolens obedire Sa-
 cerdō-*

cerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domi-
 no Deo tuo, & Decreto Iudicis, morietur homo
 ille. Deut. 17. Cum fuerit controversia, sta-
 bunt (Sacerdotes) in iudiciis meis, & judicabunt:
 leges meas & præcepta mea in omnibus solemnni-
 tibus meis custodient. Ezech. 44. De Regibus
 autem constituit Dominus Deut. 17. Postquam
 (Rex) sederit in solio regni sui, describet sibi
 Deuteronomium legis hujus in volumine, . . . ut
 discat timere Dominum Deum suum, & custo-
 dire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præ-
 cepta sunt. Et quidem jubetur accipere exemplar
 legis à Sacerdotibus, accipiens exemplar à Sacer-
 dotibus Leviticæ tribus, tamquam à rerum sacra-
 rum & ipsius legis custodibus & Judicibus. Ad
 hæc respiciens Josaphat Rex Juda cum Levitas &
 Sacerdotes sedibus suis restituisset, sic ajebat ad il-
 los: Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum
 vestrorum . . . ubicumque quæstio est de lege, de
 mandato, de ceremoniis, de justificationibus,
 ostendite eis, ut non peccent in Dominum . . .
 Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in
 his, quæ ad Deum pertinent, praefidebit: porro
 Zabadias filius Ismahel, qui est Dux in domo
 Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis offi-
 cium pertinent. 2. Paral. 19. Quis hic non vi-
 det regimen sacrum à politico prorsus sejunctum?

Neque Potestas circa Sacra ex Jure divino no- 162.
 vo competit Potestati politicæ. Quis enim locus, Ne-
 immo quis apex in Scripturis Apostolicis, ex quo que
 Protestantates adsertum suum probare queant? ubi ex Ju-
 re N.
 Principibus secularibus datum est, ut quæ vel ad T.
 Fidem & Sacramenta, vel ad regimen Ecclesiæ ex-

ternum pertinent, jure statuere & ordinare possint? cui Principum Christus umquam demandavit verbi divini prædicationem, administrationem Sacramentorum, Ecclesiæ suæ gubernationem? Allegatur (jam olim dicebat S. AMBROSIUS ep. 14. ad Marcelliin.) Imperatori licere omnia, ipius esse universa: respondeo, noli te gravare Imperator, ut putas, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod Jus habere; noli te extollere, sed, si vis divinitus imperare, esto Deo subditus, sicut scriptum est: Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorum palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia; publicorum tibi mœnium Jus commissum est, non Sacrorum. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 4. Quamquam, ait, admirandus videtur thronus Regius, tamen rerum solummodo terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem præterea habet quidquam autoritatis. Atque hanc ipsorum Imperatorum fuisse sententiam, plura evincunt testimonia. Deus vos constituit Sacerdotes (inquiebat olim CONSTANTINUS M. ad Nicænos Patres;) (quemadmodum refert Rufinus L. 1. Hist.) O nobis à Deo dati Judices estis: conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solum, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. THEODOSIUS in ep. ad Synod. Ephes. quam refert ADRIANUS Papa ad Michaelem Imperat. Illicitum est, inquit, eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractibus. VALENTINIANUS (ut habet Sozomenus L. 6. Hist. c. 7.) cum Episcopi facultatem peterent cogendi Synodus pro rebus Fidei, ultro profiteba-

stebatur; sibi, qui unus è Laicorum numero es-
set, non licere, se ejusmodi rebus interponere.
HONORIUS Augustus in causa S. Chrysostomi inter-
epist. Innocentii I. ita ad Arcadium: Cùm, si quid
de causa Religionis inter Antistites ageretur,
episcopale esse oportuerit judicium; ad illos enim
divinarum rerum interpretatio, ad nos Religio-
nis speletat obsequium. BASILIUS uti habetur in
Actis VIII. Synodi, sic pronunciat: *De vobis (se-
cularibus) quid amplius dicam, non habeo, quām
quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis
sermonem habere: hæc enim investigare, & quæ-
rere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum
est, qui regiminis officium sortiti sunt; qui san-
ctificandi, ligandi, atque solvendi potestatem ha-
bent; qui ecclesiasticas atque coelestes adepti sunt
claves; non nostrum, qui pasci debemus. Hi au-
tem Principes suorum cæteroquin Jurium tenacissi-
mi an omnem ecclesiasticam potestatem, siquam
competere sibi æstimassent, publicis hisce testimoniis
à se abdicaturi fuissent?*

*Jus itaque Sacrorum Pontifici Romano, & 163.
Episcopis Jure divino proprium est. Nempe Sed
Christus, sublatâ Synagogâ, novum regnum, quod solis
ipsi à Patre (Dan. 2. & 7. c. Ezech. c. 37. v. 22.) Ec-
promissum fuerat, non modò perpetuò duratu- clef.
rum in cœlis, sed & in tempore jam inchoandum iatis
in terris, non temporale quidem, dicente Christo: pro-
Regnum meum non est de hoc mundo. Joann. 18. pri-
sed spirituale; novum hoc, inquam, regnum um
Christus fundavit, cujus membra essent, quotquot
per Baptismum à se institutum ad novam spiritalem
vitam regenerarentur. Hujus equidem regni Su-*

premium ipse Caput, & summus Monarcha semper futurus erat; quia tamen ex hoc mundo erat discessurus, singulari vocatione quosdam vocavit, qui regnum à se fundatum non modo verbi divini prædicatione amplificarent, sed illud quoque regerent, & moderarentur. Quem in finem duplii eos præminentia condecoravit, *Ordinis* videlicet, & *Jurisdictionis*, ordinans illos Ministros & Dispensatores Mysteriorum Dei, simulque illis concedens amplissimam potestatem pascendi, ligandi & solvendi, nec solum pro interno, sed etiam pro externo foro. Atque istam tum *Ordinis*, tum *Jurisdictionis* utriusque potestatem Christus perpetuam esse voluit in Successoribus eorum, quos ipse præcæteris elegerat, eoquod Ecclesia à se erecta usque ad seculi finem duratura esset. Usi sunt hac potestate divinitus sibi concessâ Apostoli, Verbum Dei per totum terrarum Orbem prædicantes, Judaos & Gentiles baptizantes, confirmantes in Fide, peccatorum vincula solventes, Eucharistiam dispensantes, alios per manum impositionem Ministros ordinantes, quibus Ecclesiarum particularium curas commiserunt. Neque *directiveam* solum, sed etiam *coercitivam* potestatem exercuerunt, ut liquet ex factis PAULI Apostoli. *Quid vultis (scribebat I. ad Cor. 4.) in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? per virgam juxta Scripturæ phrasin intelligens punitivam aut coercitivam potestatem.* Eamdem exercuit aduersus Corinthium incestuosum. I. ad Cor. 5. aduersus Hymenæum, & Alexandrum. I. ad Tim. I. Unde 2. ad Cor 13. v. 4. *Arma militiae nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destruptionem*

Etionem munitionum consilia destruentes. Et v. 6.
In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.
Ac v. 8. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero
de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in
ædificationem, & non in destructionem vestram:
non erubescam. Et Titum Episcopum hortatur c.
2. *Hoc loquere, & exhortare, & argue cum*
omni imperio. Ipsi autem Fidelibus præcipit, ut
Prælatis Ecclesiæ obsecudent: Obedite Præpositis
vestris, & subjacete eis: ipsi enim per vigilant,
quasi rationem pro animabus vestris reddituri.
Ad Hebr. c. 13. Quæ autem Apostolicâ ætate re-
giminis ecclesiastici forma fuit, eadem semper esse
debuit, utpote à Christo Capite constituta: & eam-
dem fuisse testatur praxis Ecclesiæ non interrupta.
Quemadmodum enim post Christi in cœlos ascen-
sionem novella Ecclesia à PETRO cæterisque Aposto-
lis gubernata, diffusa per Orbem, Sanctisque legi-
bus instituta fuit; quin laici & seculares in ullam
sollicitudinis & administrationis partem venirent;
ita & per tria priora secula penes Ecclesiasticum
Ordinem summa rerum sacrarum fuit, cùm nullus
esset Christianus Princeps, qui Sacerdotium novum
cum Imperio adunare posset. Sed & ubi Impera-
tores, Reges ac Principes in subsequentibus seculis
ad Christi castra transierunt, ecclesiasticam tum
Ordinis, tum Jurisdictionis Hierarchiam Jure di-
vino novo firmatam constanter professi sunt, adeo
ut JUSTINIANUS in Auth. Quomodo oporteat Epi-
scopos, publicum hoc testimonium dederit: Ma-
xima quidem in omnibus sunt dona Dei, à super-
na collata Clementia, Sacerdotium & Imperium:
allud quidem divinis ministrans, hoc autem hu-

manis præsidens. Voluit nimirum Christus, ut Ecclesia esset unum corpus mysticum, atque uno Fidei & morum spiritu regeretur, nam *unus Dominus, una Fides, unum baptisma: unum corpus & unus spiritus;* ad Eph. 4. Fieri autem nequit, ut mystici hujus corporis unitas servetur, quod si potestas sacra penes Reges, ac Principes existat; nam secularis Regum ac Principum potestas uti multiplex est, ac juxta diversitatem Regionum diversa, ita regnante ac præcellente spiritu privato, multiplicem Ecclesiam, Fidem ac Religionem finxit, firmatque, uti certa docet experientia earum provinciarum, in quibus sic dicta Religionis libertas viget, ac triumphat. Rectè igitur Osius, ut refert S. ATHANASIUS in ep. ad Solitarios, Constantium Imperatorem allocutus est his verbis: *Define quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem judicii, serva te in illum diem purum, nec te immisceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinacioni divinæ; ita & tu cave, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno criminis obnoxius fias.* Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur, fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & Sacrorum potestatem habes Imperator. Adversus ea, quæ hactenus exposita sunt, innumera coacervant Protestantes, magis præcipua paucis diluemus.

Respondeatur ad objecta.

Obj. I. Hierarchia perfecta necessariò dicit Statum

tum Reipublicæ: hic ex sua natura involvit imperium, vim cogendi, compellendi, remediis violentis urgendi, quæ omnia aversatur Religio tota quanta dependens tum à gratia Dei internè operante, tum à dictamine rectæ rationis: illa roganda, hæc convincenda. Numquid vis aut violentia vel à Deo extorquebit gratiam, vel intellectui etiam invito obtrudet veritatem? præterea cum imperio quomodo stare libertas conscientiæ potest, in quam adserti sumus à Christo? solius Dei opus est rebelles compescere hominum voluntates, cordis duritatem frangere, pellere tenebras, lumen intellectuī humano necessarium adfundere. Imperium externum non facit nisi homines hypocritas, qui externè videbuntur esse oves, internè autem sunt lupi rapaces. Igitur à Religione, ab Ecclesia abesse vis omnis debet, omne imperium, omnis Status Reipublicæ. Resp. Puffendorfius, Pfaffius, aliique Protestantes Religionem & Ecclesiam iniquè confundunt: certè in ipsorum etiam Systemate Collegium æquale non est ipsa Religio, hæc enim est virtus cultum Deo debitum respiciens, quæ tribus continetur, *rectis de Deo sententiis*, piis in Deum affectibus, & actibus externis, qui his affectibus & sententiis congruant, & consentiant. Unde noscitur duplex Religio, *interna & externa*. Prior illa tametsi vim humanam omnem, saltem directam, omne imperium, omniaque violentia media fugiat, sed dependeat tum à libero mentis adsensu, tum à voluntatis humanæ affectibus, accedente utrumque supernæ gratiæ lumine & motu; non tamen ita libera est, ut cum avtonomica de Deo sentiendi libertate componi queat. Cultus ni-

mirum

mirum Dei internus sit conformis oportet, legibus divinis, quas sive per rectam rationem, sive per specialem revelationem externam hominibus manifestavit. Certè juxta ipsum Puffendorfum Religio in statu naturæ neque fuit libera ad Polytheismum, neque Christiana in statu gratiæ libera est ad Judaismum, aut Mahumetismum. Externa autem Religio cur Imperium humanum respuat? cur ii saltem, qui de veritate Religionis ex motivis credibilitatis antea convicti, Ecclesiæ nomen dederunt, per media violenta in suo contineri officio non possint, aut pœnis severioribus plecti? eo ferè modo, quo juxta Puffendorfum cogi per Principem possunt Christiani subditi in Judaismum, vel Atheismum deficientes, aut religionem summo imperio adversam profitentes. Numquid Deus in V. L. ritus externos ita præcepit, determinavitque, ut in transgressores pœnis gravissimis animadverteret: an ideo hypocritas faciebat divina Lex? cur eamdem coercitivam potestatem Ecclesiæ suæ dare non potuerit? finge ab Ecclesia omne imperium abesse: quo pacto homines scelerati in suis continebuntur officiis? quomodo salus, & Ecclesiæ tranquillitas stabit? actum sic erit de legum divinarum, & ecclesiasticarum observantia: vaga credendi vivendique libido impunè grassabitur; non tot quotidie nascentur hæreses, & schismata, quin plura, alia ex aliis, pullulent. Hujusmodi verò imperium Ecclesiæ vel libertati conscientiæ adversum non est; vel eidem inimica quoque sunt Jura divina, humanaque omnia. Quæ sequela quam certa est, tam in Reges ac Principes injuria. Quis nescit, homines ex Jure divino, naturali & positi-

positivo teneri ad amplectendam Religionem revelatam credibiliorem, atque ita se suamque voluntatem subjicere Statui, in hypothesi, quod Deus Religionem Statui, vel Reipublicæ innectere voluerit? an ista libertati conscientiae repugnant? itaque recte statuunt sanæ mentis omnes, Deum conscientias nostras ita liberas voluisse, ut tamen esset necessitas justis legibus parendi. Obtemperandum est Deo in rebus ad Religionem spectantibus, sive extra, sive intra Statum Reipublicæ; vel in Statu ecclesiastico prorsus distincto coli à nobis, & adorari velit. Unde absurdum est, *Puffendorfium*, ejusque interpres & sequaces ad inutiles & vanas rationes confugere, cùm quæstio in eo maximè versari debeat: Utrum Christus in N. L. Ecclesiam suam voluerit esse Statum Reipublicæ?

Inst. I. Religio revelata nequit innecti Statui Civitatis: hujus enim finis est securitas publica: media ad finem hunc obtainendum sunt armorum præpotentia, numerosus miles, vis opum immensa, &c. Finis autem coëuntium in Ecclesia, est salus Ecclesiæ, & ultimato salus æterna, quam extra omnem societatem agens homo certissimè consequi potest. Media ad salutem longè diversa à prioribus suggestit Christus in Evangelio. *Resp.* Faten-tur ipsi *Protestantes*, in L. V. tam arctum fuisse nexum inter Synagogam & Rempublicam, ut una sine altera stare non potuerit, & nemo civis Reipublicæ esse posset, quin ipsius Religionis esset membrum. Igitur Religio revelata Statui Civitatis innecti valet. Neque obstat finis & mediorum diversitas: quodsi enim ex fine & mediis Respubli- ea habet, ut sit politica, atque ut ab ecclesiastica diffe-

differat; cur Ecclesia ex iisdem rationibus id non consequatur, ut & Status Reipublicæ sit, & alius sit Status à politico, & civili? an fortè Deus in rebus humanis minus possit, ac ipsi homines? Hi quodsi voluntate & facto suo ita in societatem coiverunt, ut se Imperantibus subjicerent; cur Deus præcipere non potuerit, ut, quotquot æternam consequi salutem vellent, certo hominum cœtui se adgregarent, ejusque societatis Præpositis obtemperarent? immo præcepit, & ordinavit Christus Statum hujusmodi, ut invictè patet ex dictis. Hominis solitarii exemplum ineptè adducitur à Prostantibus: vel enim talis homo ita semper solitariè vixisse ponitur, ut nihil umquam de revelatione externa audiverit; vel aliquando audivit illam. Si prius: Salvari non potest, quamdiu in hoc statu perseverat, quia caret Fide in Deum Autorem gratiæ, quæ per solum rationis lumen haberi non potest: *fine Fide autem impossibile est placere Deo.* Si 2dum. Vel igitur per Baptismum cœtui Fidelium adgregatus fuit: & in eo perstat, etsi solitariè vivat, sicque salvari potest; vel non fuit adso ciatus, ita tamen, ut habuerit, & habeat votum, saltem tacitum, & implicitum, quod in amore Dei super omnia continetur, sicque censetur esse de spiritu Ecclesiæ; vel neque votum hujusmodi habuit, nec habet; & omnino extra Ecclesiam constitutus est, nec salus illi est possibilis. Denique *Puffendorfius* Statum Civitatis magis ex subordinatione imperantium & subditorum, quam ex fine, & mediis metiri debuisset: ista enim non Statum simpliciter, sed *talem* Statum ostendunt: alioquin pari Jure dicam, cum esse Statum, cuius finis est salus

salus æterna, & cuius media huic obtinendo fini idonea sunt.

Inst. 2. Ex ipso Ecclesiæ nomine patet, eam nihil aliud esse, quam Conventum, aut Collegium populi, nam Ecclesia ab evocando dicta nihil aliud est, quam evocatio, sc. populi. *Resp.* Esto: fuerit hic primus istius vocabuli usus, ut convocationem populi significaret; an nova advenire notio non potuit? Christus ipse cum Matth. 18. diceret: *Dic Ecclesiæ*, hoc nomine Prælatos Ecclesiæ designabat, id quod alibi demonstratum hic supponitur. Nonne & Puffendorfius, initio semel formatoque Ecclesiæ Collegio opus esse ait directione saltem collegiali, immo & Summi Imperantis potestate ecclesiasticâ, etiam coætivâ, siquidem necessitas exigit?

Obj. II. In Lege naturæ potestas regia & sacerdotalis erant conjunctæ ex nativæ indole: cur non etiam conjunctæ sint in lege gratiæ? certè gratiæ non destruit naturam, neque lex Christi data est ad tollendam, sed perficiendam naturæ legem. *Resp.* Gemina illa potestas fuit conjuncta in Lege naturæ ex vi Juris naturalis præceptivi. N. Vi Juris humani, aut populi consuetudine, quam Deus ratam acceptamque habuit. C. Ante legem Moysis vel Jure Gentium, vel moribus populorum introducta fuit conjunctio Regiæ & Sacerdotalis potestatis: nempe Gentes omnes, duee ratione, (& factis Majorum prælucentibus illis, qui Deum verum colebant) haud obscurè intelligebant, Deo sacrificandum esse: qui ritus ut foret celebrior, eodem fungendi munus iis deferendum putabant, qui aut Familia, aut aliâ dignitate præfulgebant. *Hic autem*

tem mos uti in L. V. mutatus est, ita & in Nova mutari potuit, ac re ipsa mutatum esse luculentè demonstrant tum Scriptura Apostolica, tum Apostolorum & Ecclesiæ praxis perpetua. Frustra progreditur *Puffendorfius* à Statu ad Statum: etenim de Statu Ecclesiæ ubi sermo est: hæc sicuti Deum Autorem habet, ita unica divinæ institutionis ratio habenda est. In L. V. Sacrificiis & holocaustis suus erat valor: an ex vigore isto eorumdem necessitatem in N. L. arguat *Puffendorfius*?

Obj. III. Summa potestas eo ipso, quod summa sit, non compatitur in eodem Regno potestatem aliam, æquæ summam: quæ enim summa est, ex natura sua est exclusiva alterius independentis. Certè si duo darentur entia prima, & absolutè necessaria, non jam quodlibet Deus esset, sed monstrum Deorum forent. *Resp.* Si sint in eodem ordine ac genere. C. Si in diverso N. Finge duo entia, quæ sint prima, & absolutè necessaria: utraque erunt infinitè perfecta, utrumque circa easdem ordinationes summam habebit autoritatem: utrumque erit independens ab altero, & dependens. En monstrum. At diversitatem Reipublicæ ecclesiasticæ & politicæ agnoscit ipse *Puffendorfius*, ubi finem utriusque diversum, & media diversa, immo & diversam originem agnoscit. Neque ideo minuitur, aut restringitur regia potestas: minui enim, aut restringi jus dicitur, quod cum magis extensum esset, ad limites angustiores revocatur. Ubi autem potestati politicæ in N. L. Jus Sacrorum umquam concessum fuit? Propè aberit, ut ipsum Imperium divinum ex Orbe elminent Protestantes, & Pseudo Politici, ne politicæ potestatis terminos restinge-

stringere videantur. Salus Reipublicæ suprema lex esto, at salvâ Dei ordinatione, sive naturalis hæc fuerit, sive positiva. Summa sit Principum potestas; verùm à Deo delegata est, ultra fines mandati nefas egredi. *Ad Sacerdotes voluit Deus, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates, quas, si Fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* Non sibi vindicet alienum Jus & ministerium, quod alteri deputatum est, ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam consecutus est potestatem. C. *Si Imperator, II.*
Dist. 96. Præterea si idem Regnum summa duo Capita non ferat; quomodo Christi Ecclesia, quæ est unum spirituale Regnum, mysticum Corpus unum, tot feret Capita, quot summi Imperantes extant?

Inst. Nonne apud Orthodoxos sunt plures Episcopi, veluti totidem Ecclesiarum Capita? *Resp.* Sunt plures, atque ita sunt, ut eorum quisque traditâ sibi divinitus potestate gaudeat regendi Ecclesiæ suas particulares: at non ideo plura extant Capita summa, cùm Episcoporum potestas & Jurisdictio utut ex divino Jure descendens, Supremi Pastoris, ac Christi in terris Vicarii, & D. Petri Successoris potestati ex divina pariter institutione subordinata sit. Secus de Suimis Potestatibus politicis, quarum qualibet in suo territorio Jura sibi majestatica vindicat, nec patitur subordinari. Exemplo sit Protestantium Ecclesia in tot ferè sectas scissa, quot sunt territoria, in quibus toleratur.

Tom. II.

Hh

Obj.

Obj. IV. Religio Judaica divino Jure Statui politico sic innexa fuit, ut potestas ordinis, h. e. directiva fuerit quidem penes solam Tribum Leviticam, potestas tamen Jurisdictionis manserit penes Reges; atque ideo non fuit Status in Statu, sed Tribus sacerdotalis obnoxia erat imperio Regum, id quod plura facta in ipsis sacris Literis consignata testatum faciunt. Sic DAVID Rex 1. Paral. 13. dicebat ad populum: *Si placet vobis . . . mittam ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israël, & ad Sacerdotes, & Levitas . . . ut congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei nostri.* Sic JOSIAS, postquam Helcias Pontifex reperit librum in Domo Domini, misit, & congregati sunt ad eum omnes senes Iudea, & Jerusalem, ascenditque Rex in templum Domini, & omnes viri Iudea & Jerusalem cum eo, Sacerdotes & Prophetæ . . . legitque cunctis audientibus verba libri fœderis, qui inventus est in Domo Domini, stetitque Rex super gradum, & fœdus percutit coram Domino. 4. Reg. 23. Sic JOSAPHAT constituit Sacerdotes ad Populum in Lege Domini erudiendum, 2. Paral. 17. SALOMON ejecit Abiathar, ut non esset Sacerdos. 3. Reg. 2. ædificavit templum, illudque victimis & sacrificiis dedicavit. 2. Paral. 5. Quin utramque potestatem, ministerii, & Jurisdictionis in Moyse, Heli, Samuele, Nehemia conjunctam fuisse, nemo ignorat. Cur hæc omnia in L. N. locum non habeant? Resp. Quid sibi vult inepta hæc consecutio, quod si ex Sacris Paginis certum sit, Christum voluisse, ut potestas circa Sacra in N. L. solis Pontificibus & Episcopis propria esset? ad hanc Christi institutionem

tionem si respexisset *Puffendorfius* cum suis sequacibus, & brevior fuisset in suo Opusculo, & errorrem suum facilius deprehendisset. Sed tamen *respondeo ad 1num.* Ubi DAVID & populum, & Sacerdotes ac Levitas congregavit ad reducendam arcam Domini, illustre pietatis ac zeli exemplum cum dignitate regia conjunxit, quin potestatem circa Sacra usurpaverit: neque enim ipse Arcam vel tangere ausus est, sed juxta præceptum Domini *Num. 4. v. 31.* portationem Levitis, Sacerdotibus contactum reliquit. Ad 2dum & 3tium. Similiter JOSIAS & JOSAPHAT regiæ pietate, & divinæ gloriæ, ac Religionis avitæ studio accensi profuso Advocatorum, & Defensorum munere id præceteris agendum putarunt, ut Sacerdotum curâ & vigilantia antiquum (neque enim fœdus novum ipse percussit) pactum cum Deo initum ad apicem servaretur. Haec nimirum Advocatiæ ecclesiasticæ partes sunt, ut vel à Sacerdotio, ab Ecclesia, à Religione divinitus instituta vis omnis, & injuria arceatur, vel Sancta Episcoporum consilia ac decreta externo robore firmentur; vel etiam languidi quandoque Prælati hortatu, & salutari suggestione excitentur. In hoc enim (inquit S. AUGUSTINUS L. 3. contra Crescon.) Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, inquantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant; non solum quæ pertinent ad humanae societatem, verum etiam ad divinam Religionem. Ad 4tum. SALOMON dicitur templum dedicasse, & sacrificasse, quatenus suppeditavit sumptus, dedicationemque & sacrificia Sacerdotum ministerio facta, presentiâ suâ cohonestavit, qui actus

484 DE LEGE HUMANA.

Religionis solemnes nostris etiam Principibus communes, & aliquando familiares sunt. Certè de populo æque, ac de Rege pronunciat Sacer tex-tus 3. Reg. 8. v. 63. *Et dedicaverunt templum Domini Rex, & filii Israël: quis autem populo tribuat Sacrorum Jus?* præterea ejecit Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini, ut im-pleretur Sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Qui haud dubiè fuit ser-mo, quo Deus dixit 1. Reg. 2. v. 35. *Et susci-tabo mihi Sacerdotem fidem, qui juxta cor meum & animam meam faciat, sc. Sadoc.* Ac proinde SALOMON divino instinctu, & potestate extraordi-nariâ Abiatharem ejecit, qui cùm Adoniæ partes secutus fuisset, per peccata sua Oraculum divinum de Domo Heli fortassis complevit. Ad 5tum. Con-junctio illa potestatis sacræ cum politica non Jure ordinario sed extraordinario Dei consilio facta est, ideoque in exemplum trahi non potest.

Obj. V. Omnem Christi vitam, omniaque il-lius gesta, & facta si perlustremus, nihil occurrit, quod vel Imperantem exprimat, aut minimum præbeat indicium, ex quo liceat colligere, quòd Ecclesiam suam esse Statum Reipublicæ voluerit. Numquam alias nisi Doctoris, & Medici partes egit. Resp. An Christus clariora certioraque sui de fundando Ecclesiæ Statu consilii argumenta dare debuit, quam ubi ipse leges condidit, v. g. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vo-bis, &c.* Nonne Christus Magistratus Ecclesia-stico

sticos constituit, dans Apostolis suis potestatem ligandi & solvendi? nonne Fidelibus præcepit, ut Ecclesiæ Prælatis morem gererent, immo his eamdem, ac Ipsi obedientiam præstarent? potestas clavium PETRO data an nudam directionem fortassis designat? & ipse Dei Filius *Apoc.* 3. dicitur habere claves *Davidis*: eadem *Isa.* 22. dicuntur imponendæ super humerum *Eliacim*: ubi veram potestatem dominativam significari nemo unus est, qui ambigat. Nempe Christus triplici munere functus est, cùm in terris viveret, Doctoris videlicet, Legislatoris & Redemptoris: Apostolos suos voluit esse Doctores, cùm eos jussit ire in mundum universum, & prædicare omni creaturæ; eosdem & Legislatores esse voluit, ubi illis Ecclesiam suam regendam tradidit, potestatemque fecit ligandi & solvendi. Pro hac *imperii* potestate Apostoli fundarunt Ecclesias, iisque vel præfuerunt ipsi, vel alios cum imperio præfecerunt, imperantes Fidelibus, ut præpositis suis subjacerent; tulerunt leges, controversias diremerunt, eaque ordinaverunt omnia, quæ ipsis ad ædificationem Ecclesiæ, & animarum salutem necessaria, vel utilia videbantur. Num unus aliquis ex Protestantibus sit, qui neget, actum imperii & Jurisdictionis esse, banno imperiali ferire quemquam? & cur actus imperii & jurisdictionis non sit, cùm Apostolus ex Fidelibus quosdam, non rogato populi consensu, publicâ & solemnî excommunicationis sententiâ affixit, atque à reliquorum Fidelium cœtui veluti putrida & mortua membra separavit?

QUAESTIO IV.

An Canones Apostolorum in Corpore Juris contenti sint genuini, & authentici?

¶64. In Corpore Juris Canonici leguntur Canones Apostolorum 84. De his non una est Eruditorum sententia. Alii omnes 84. pro veris ac genuinis habent. BELLARMINUS in L. de Script. eccles. in Clemente, §o. duntaxat priores esse legitimos censet. BINIUS non modò §o. priorum autoritatem certam habet, sed posteriores etiam, exceptis solum duobus, sc. 65to, & 84to, inter authenticos numerandos esse contendit. Dallaeus Calvinianus omnes velut merces suppositas rejicit. Ecclesia Græca omnes 84. Canones, prout hodie in Corpore Juris extant, recepit. Quocirca JUSTINIANUS Imperator in Constitutione ad Epiphanium Patriarcham CP. eos prolixè commendat, & in Nomo-Canonem ab ipso confirmatum omnes relati sunt. Inde etiam Trullana Synodus Can. 2. omnes 84. tamquam ab Apostolis traditos laudat, ac recipit. Ecclesia Romana autem nonnisi §o. recepit. Nam DIONYSIUS Exiguus, qui VI in eunte seculo latinam græcorum Canonum interpretationem aggressus est, & Romanis communicavit, §o. duntaxat priores Canones Apostolis inscriptos collectioni suæ inseruit, in prefatione Bonifacium Papam, ad quem opus suum misit, his verbis admonens: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non præbuere faciem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare Sanctitatem, quamvis postea constituta Pontificum ex ipfis*

ipsis Canonibus adsumpta esse videantur. Unde etiam Synodus Lateranensis sub Stephano VI. anno 769. aet. 7. prout refert Anastasius Bibliothecarius, statuit: Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per Clementem, nisi 50. capita, quæ suscepit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.

Canones, qui dicuntur Apostolorum, non sunt ab ipsis Apostolis, neque à S. Clemente conscripti. Sup-
Quodsi enim Canones illi verè Apostolorum essent, pos-
itorum certè meminissent Ecclesiastici primorum titii.
seculorum Scriptores, in iis maximè controversiis,
in quibus res ipsa poscebat illorum canonum fieri
mentionem: procul dubio CYPRIANUS & FIRMILIA-
NUS Papæ STEPHANO objecissent Canonem 45um:
*Episcoporum, vel Presbyterum, qui Hæretico-
rum baptismum, vel sacrificium admiserit, de-
poni jubemus. Et 46um: Episcopus, aut Pres-
byter, si eum, qui verum baptisma habeat, ite-
rum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non
baptizaverit, deponitor, ut qui crucem Christi mor-
tem Domini derideat, neque discernat veros Sa-
cerdotes à Sacerdotibus impostoribus.* VICTOR
Papa, Synodique tum Orientis, tum Occidentis
Canonem 5um, quo constitutum est, ne pascha
cum Judæis celebretur, protulissent adversus Asia-
ticos, qui hunc suum usum esse Apostolicum con-
tendebant. 20. Doctrina Canone 46to cit. tradita
prorsus aliena est à doctrina Apostolica, quia quo-
rumvis Hæreticorum baptisma invalidum esse ad-
firmat, ut liquet ex ratione addita, sc. Hæretici
baptisma ideo nullum esse, eoquod hæretici
nulla sit communio cum Christo (Quæ etenim con-
ventio Christi cum Belial: aut quæ particula Fi-

488 DE LEGE HUMANA.

deli cum Infideli? can. 45.) quæ ratio respectu cu-
jusvis Hæretici tenet. 3º. Hi Canones quodsi ve-
rè Apostolici essent, eorum certè meminissent EU-
SSEBIUS Cæs. & S. HIERONYMUS, quorum uterque
Apostolorum Opera summâ cæteroquin diligentia
recenseret.

166. *Canones Apostolici 85, vel ut alii 84, ab Ecclesiis*
Non statim Orientalibus in eunte Seculo VI, probati sunt: ex illis
ab 50. duntaxat, pariter initio Seculi VI, in Ecclesia
omni- Latinæ Codicem relati sunt, quin tamen inter
bus ecclæsticas regulas ab omnibus statim Ecclesiis
ad- fuerint admissi, quamvis subinde per universam
misi. Occidentalem Ecclesiam obtinuerint autoritatem.
Pars Ima ex eo patet, quod totidem in Nomo-Ca-
nnonem ab ipso Justiniano Imp. confirmatum rela-
tì fuerint; tum ex Synodo Trullana, quæ exeun-
te Seculo VII. celebrata est, can. 2. ita decernente:
Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrimè &
honestissime placuit, ut deinceps ad aximatum
medetam, & perturbationum curationem, firmè
stabilesque maneant, qui ab iis, qui nos præcesse-
runt, sanctis & gloriofis Apostolis traditi sunt,
85. Canones. Sic etiam Synodus VII. Oecumeni-
ca Can. I. Divinos, inquit, Canones amplectan-
mur, & integrum illorum præceptionem, ac im-
mobilem teneamus, tam scilicet illorum, qui ab
almis, & laudabilissimis Apostolis, Sancti Spiri-
tus tubis, editi sunt, quam eorum, qui à sex
sanc̄tis, & universalibus Synodis promulgati
sunt. S. DAMASCENUS libris adeo Canonicis Ca-
nones sanctorum Apostolorum per Clementem ac-
censet L. 4. de Fide Orth. c. 18. Photius in proœ-
mio sui Nomocanonis testatur, se eos etiam Cano-
nes

nes comparavisse, qui sanctorum Apostolorum esse dicuntur, licet aliqui, quasdam ob causas, dubiae eos autoritatis esse existimaverint. Pars 2da exinde conficitur, quia DIONYSIUS *Exiguus* primus fuit, qui Canones Apostolorum, & nonnisi 50, ex græco in latinum translatos cum Romanis communicavit. Eosdem verò non statim ubique in Occidente receptos fuisse, patet 1º. quia FERNANDUS *Carthagin.* circa initium Sec. VI. Apostolicis Canonibus nullum dedit locum in Breviario Canonum: nec MARTINUS *Bracarensis* in collectione Canonum Orientalium, quam creditur ad Nitigemnum misisse anno 572. 2º. S. ISIDORUS *Hispalensis* in Sec. VII. apud *Du Mesnil*, Canones Apostolorum inter apocrypha rejicit, immo ab Hæreticis suppositos contendit. 3º. HINCMARUS *Rhem.* in Sec IX. L. 55. Capitum, c. 45. *Hincmarum Laudunensem* suum Nepotem de Canonum ecclesiasticorum Codice admonens, primò ait extare certos quosdam Canones, quos & *Apostolica Sedes*, & omnes Episcopi per universum Orbem, à primæ Sedis Pontifice usque ad illum, qui modò novissimè, etiam post te, est ordinatus Episcopus; immo & omnis Catholica Ecclesia, Canones appellant; quique à Nicæno Concilio, quod primum in nostris Codicibus (quos ab Apostolica Sede Majores nostri acceperunt) sequendos per ordinem, usque ad Africanum Concilium, pro Canonibus recipiendis, venerandis, & observandis retinent, & Innocentius, Zosimus . . Gelasius, Gregorius, & cæteri quique observandos Canones nominant. Unde liquet, eâ atate in Codice Canonum ecclesiasticorum, quo Gallicana ute-

490 DE LEGE HUMANA.

batur Ecclesia, prīo loco positos fuisse Nicænos. Canones, adeoque versionem Dionysianam in eodem Codice non extitisse. Eosdem tamen Hinc MARO cognitos fuisse liquet ex c. 24. ejusdem Opusculi, ubi ait: *Canones, qui vocantur Apostolorum, à devotis quibusque collecti, in quibus quædam receptibilia, quædam verò non sunt servanda, non ab Apostolis scripti esse creduntur.* Cœperunt tamen paullatim Canones 50, ab Apostolicâ Sede probari, adeo ut per totum Occidentem fuerint legalem autoritatem consecuti, dum eos Ecclesia Romana in Judiciis usurpavit, ut constat ex epistola LEONIS IV ad Britannie Episcopos scribentis: *Canones, quibus in omnibus Judiciis ecclesiasticis utimur, sunt Canones, qui dicuntur Apostolorum.*

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Canonum Apostolicorum in suis jam epistolis disertè meminerunt Anacletus, Alexander, Eleutherius (in Sec. II.) Fabianus (in Sec. III.) Marcellus, Eusebius, Julius (in Sec. IV) Pontifices, ut palam faciunt eorum testimonia à Turiano laudata. *Resp.* Epistolæ illæ non sunt nisi pseudoepigraphæ, & supposititiæ, proinde testimonia inde petita minimè ostendunt, Apostolorum Canones à memoratis Pontificibus agnitos fuisse. Similiter testimonium Tertulliani in L. adversus Præcam dicentis: *Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos, falsum est, nec in cit. libro reperitur.*

Inft.

Inst. 1. *Origenes L. contra Cels.* testatur Fideles lapsos, peractâ legitimâ pœnitentiâ in Ecclesiæ communionem admissos fuisse, non tamen ad sacram ministerium promotos; quod ipsum statuitur *Can. 51. & 80.* Et *L. 8.* contra eundem inquit, *Christianos à muneribus Reipublicæ gerendis abstinere, non quod communis vitæ ministeria fugiant; sed quod servent se diviniori, ac magis necessario ministerio Ecclesiæ Dei, ad salutem hominum.* Quod iterum edicitur Canonibus Apostolorum 6. & 61. Igitur Canones illi jam tunc *Origeni* fuerunt noti. *Resp.* Evidem ex his verbis *Origenis* rectè colligitur, mores illos jam tunc viguisse in Ecclesia, quin tamen *Canonum Apostolicorum* autoritate niterentur. Certè *Origenes* si *Canones Apostolicos* habuisset cognitos, se ipsum non abscidisset, quia id canone 21. prohibebatur, nec umquam ad Presbyteri dignitatem contra ejusdem canonis prohibitionem evectus fuisset à *Theodo-
stiso Cæsareæ, & Alexandro Hierosolymorum Episcopis.* Illi igitur Ecclesiarum mores vel ex ipsa *Apostolorum* doctrina, vel ex placitis & factis *Episcoporum* descendebant.

Inst. 2. *S. ALEXANDER* *Alexandr.* disertè mentionit *Canonum Apostolicorum* in *ep. ad Alexandrum CP.* quam refert *THEODORETUS* *L. 1. Hist. c. 4.* ubi eos *Episcopos* reprehendit, qui *Clericos à se excommunicatos suscipiebant*, aitque id contrarium esse *Canoni Apostolico.* *Unde fit*, inquit, *ut nonnulli, qui eorum literis (Arianorum) subscribunt, in Ecclesiam recipientur: quod factum maximam infamiam nostram Collegis nostris, qui ilud ausi sunt, inussit; qui non modo id, quod*

Canon

492 DE LEGE HUMANA.

Canon Apostolicus non permisit, faciunt, sed conatum eorum planè diabolicum contra Christum vehementiorem faciunt. Quibus verbis Canonem 3. vel 14. haud obscurè designant. *Resp. S. ALEXANDER nomine canonis Apostolici nonnisi legem à viris Apostolicis, h. e. ab Episcopis & Ecclesiæ Prælatis constitutam significat, aut etiam unum aliquem ex Canonibus, qui dicebantur Apostolorum, quin Apostolos eorum Canonum autores adfirmaret.*

a) Evidem, ut dictum est *num. 166.*, *Canones 85.* in Ecclesia Orientali, & 50. in Occidentali Ecclesia, in eunte Seculo VI, recepti sunt; vero simile tamen est, eorum non paucos sub finem Seculi III, vel initium IV. Seculi jam cognitos fuisse, ut arguitur ex *cit. ep. S. Alexandri*, qui disertam *Canonis Apostolici* mentionem facit. Sic etiam *Synodus Nicæna I*, prohibet Clericis transmigrationem ab una Parochia ad alteram absque Episcopi facultate, additque, hanc transmigrationem esse *contra Canonem*; igitur anterior erat Canon eam prohibens; hic autem est Canon 14*tus* Apostolorum. Sic etiam *CONSTANTINUS M.* in *ep. 2.* ad *Eusebium Cæsareensem*, & *Antiochenos Episcopos*, laudat hunc *Eusebium*, quod ab Episcopatu Cæsareensi ad Antiochenum, totius Asiae Metropolitanum, ad quem fuerat electus, transire noluerit, & sic Domini mandatum, & *Apostolicum Ecclæsiæque Canonem* servarit, ut refert ipse *Eusebius* in vita *Constantini L. 3. c 59.* Et initio epistolæ ad *Eusebium* datae scribit Imperator, *Canonem* esse conformem traditioni *Apostolicæ*. Ille autem Canon ab Imperatore laudatus est 13*tius* Apostolorum, in quo prohibetur transitus ab uno ad alterum Episcopatum. Quod vero ait *NATALIS*, *S. Alexandrum nomine Canonis Apostolici* intellectisse sententiam *Apostoli*, ad *Gal. 1.* dicentis: *Siquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema suum*; sufficiente ratione destituitur, quia hujus Paulinæ sententiæ energia longe major est, quam ut his *S. Alexandri* verbis expressa cense.

zenseri possit: quod *Canon Apostolicus* non permisit. Nec plus roboris habet, quod idem Autor respondet ad *Synodus Nicenam & Constantini* epistolam, videlicet *Synodus* intellexisse regulam publici Ecclesiae moris, ususque, non vero *Canonem* aliquem, & similiter *Canonem* ab Imperatore laudatum, esse ipsum publicum legitimumque morem Ecclesiae illorum temporum. Quis enim credat, vocem *Canon* à *Synodis* usurpatam ad morem duntaxat significandum, qui tune in Ecclesia vigeret, quique esset regula rerum faciendarum, seu judiciorum instituendorum, cum hoc vocabulo legem scriptam designari omnes semper crediderint. Præterea *Canones Apostolorum* inscripti *Disciplinam*, quæ II. aut III. aut IV. Seculo in quibusdam Ecclesiis servabatur, continent. Ita se habet v. g. *Canon* præcipiens pascha cum *Iudæis* non esse celebrandum, quod *Victore* Pontifice plures *Synodi* definierant. *Canones* etiam baptisma *Hæretorum* respuentes, *Concilii Iconiensis* definitiones innuunt, cui placuit *S. Cypriani* sententia contra *Siepbanum* Papam adhaerere. Ut adeo à vero non abhorreat, *Canones* *Apostolicos* non modica ex parte collectionem esse plurium *Canonum* ante *Nicenam* I. *Synodum* in variis particularibus *Synodis* editorum. Quæ collectio cum successu temporum novis *Canoribus* aucta fuit, factum est aliquos ejusdem *Canones* non facile inter se conciliari, atque ejusdem materiae *canones* nullo servato ordine in eadem conscriptos. Et quoniam in dicta collectione quidam etiam *Canones* inserti erant, à quibus Catholica abhorrebat Ecclesia, nec Oecumenici partus erant *Concilii*; mirum non est, quodsi primi *Canonum* collectores illius collectionis non meminerint, neque primi Ecclesiae Patres ipsorum autoritate adversus Ecclesias hostes pugnaverint. Quamvis itaque *Canones* isti *Apostolos* Autores non habeant, antiquissimi tamen merito aestimantur.

Obj. II. GELASIUS Papa in Decreto Synodi Romanae anno 494. disertè ait: Liber Canonum Apostolorum est apocryphus. Et GRATIANUS Dist. 16. Can. I. scribit, Canones, qui dicuntur Apostolo.

494 DE LEGE HUMANA.

Apostolorum, sub nomine Apostolorum ab Hæreticis esse suppositos, & ab autoritate canonica alienos. *Resp.* Ad *Imum*. GELASIUS hunc librum dixit apocryphum, tum quia perperam Apostolis inscriptus erat; tum quod varios contineret Canones à doctrina Apostolica alienos, maximè quia ille liber, de quo GELASIUS, videtur comprehendisse Canones omnes, quos subinde Græci generatim receperunt. Ad *2dum* GRATIANUS intelligi (quod ipsum de *Judicio S. Isidori Hispalensis* supra laudato dici potest, nisi fortè P. *Du Mesnil* hujus Sancti nomen *Isidoro Mercatori* per errorem innocuum substituerit) potest de illis Canonibus, in quibus aliquid contra Ecclesiæ Romanæ doctrinam statutum invenitur. Sed & Canon *1. cit.* parum autoritatis habet, utpote desumptus ex *Isidoro Mercatore* sublestæ admodum fidei, ut patet in Decretalibus Romanorum Pontificum ab eodem *Isidoro* aut malè compilatis, aut omnino confictis.

Inst. Canone *5.* prohibetur, ne Episcopus, aut Presbyter uxorem suam abjiciat: *Can. 45.* & *46.* generatim baptismus ab Hæreticis collatus tamquam invalidus rejicitur. Alio Canone jubetur Clericus deponi, & Laicus excommunicari, qui die Dominicæ, vel Sabbatho jejunat, cùm certò constet, Romæ Sabbatho jejunatum fuisse in IV. jam Seculo. Alius Canon inter libros S. Scripturaræ numerat tres libros *Machabæorum*, item duas epistolas *Clementis* cum octo libris Constitutionum. Contrà verò ex numero Librorum Canonicorum omittit Libros *Ecclesiastici*, *Tobiæ*, *Judith*, *Esdræ*, *Apocalypsis*. Quo igitur pacto Synodus *Lateranensis* sub *Stephano IV.* priores *50.* Canones recipi-

recipere potuit? *Resp.* Ad 1^{um}. Sensus Canonis 5^{ti} esse potest, ne Episcopus, vel Presbyter uxorem, quam ante Ordinationem duxerat, prorsus abjiciat omnem illius curam abjiciendo; sed fas esse, ut eidem de necessaria sustentatione provideat. Atque sic Canon ille Romanæ Ecclesiæ Canonibus non adversatur. Si verò sensus esset, Episcopo aut Presbytero licere uti matrimonio cum uxore ante Sacros Ordines jam ducta; hoc sensu ab Ecclesia Latina Canon receptus numquam fuit, sed à Græcis insertus. Similiter Ecclesia Latina numquam recepit Canones 45. & 46. Ad 2^{dum}. Quod dicitur de jejunio Sabbathino non servando, habetur in Canone 65. à Latinis pariter non suscepto. Unde cùm Nicetas ex Canone 65 contra Latinos Sabbatho jejunantes pugnaret, Humbertus Cardinalis ei objecit, quòd ex apocryphis & reprobatis Canonibus id afferat. Ad 3^{tium}. Habentur ista in Canone 84, vel 85. qui corruptus est quoad eam partem, qua Libros non Canonicos inter Canonicos recenset; & quidem ita egisse creditur octo Libr. Constitutionum Autor, qui sub Clementis nomine vulgabantur, ut proprio libro irrefragabilem conciliaret autoritatem. Ad libros verò omissos quod attinet, sunt, qui ex hoc ipso silentio Canonis istius antiquitatem arguant: nam omisit auctor V. T. Libros, qui in Hebræorum Canone non legabantur, & de quibus eo tempore necdum satis constabat, utrum Librorum Canonicorum Albo deberent adnumerari. Unde etiam Deuterocanonicū dicti sunt. Ceterà Canones Apostolorum non vindentur eo semper ordine collocati fuisse, quo nunc in Corpore Juris clauduntur: ex qua ordinis immutatio.

Hære
a alie.
m di-
is in-
nones
Ille li-
ndissi-
im re-
(quod
lauda-
s San-
cuum
quibus
statu-
auto-
lerca-
creta-
ro aut
, aut
& 46.
tam-
betur
qui
certo
n IV.
riptu-
a duas
num.
orum
Es-
s La-
nones
ecipe-

496 DE LEGE HUMANA.

mutatione factum est, ut nonnulli ex posterioribus inter 50. priores, quos Synodus Lateranensis probavit, ponerentur.

QUAESTIO V.

Utrum Constitutiones Apostolorum nomine inscriptæ, sint ab Apostolis traditæ, & à S. Clemente conscriptæ?

167. **C**onstitutiones Apostolorum nomine inscriptas, & octo libris comprehensas repertasque in Insula Creta, primus, quod scitur, in Occidente, anno 1551. in lucem dedit PETRUS Crabbe Ordin. Min. in sua Conciliorum editione 2da, in epitomen tamen contractas inventore & interprete CAROLO Capello Veneto. Postea anno 1567. LAURENTIUS Surius easdem integras Conciliorum collectioni inseruit, è Græco in latinum versas à CAROLO Bovio, Ostunensi tunc Episcopo. Anno 1585. DOMINICUS Nicolinus in Veneta editione eas collocavit, ex luculentiore versione, & cum notis Francisci Turriani S. J.

168. **O**cto Libri Constitutionum Apostolicarum, ut vocant, neque ab Apostolis traditi, neque à S. Clemente conscripti sunt. Nam 1º nullus ex Ss. PP. aut Scriptoribus Ecclesiasticis per priora tria Ecclesiæ secula earum meminit, etiam cùm occasio ferret, & argumentum exigeret, quod pertractabant. Sic VICTOR Papa in causa paschatis Asiaticis numquam objecit Constitutionem Apostolorum L. 5. c 16. ubi prohibetur celebrari pascha cum Judæis: immo S. IRENAEUS in ep. ad Victor.

rem

rem, cuius fragmentum refert *Eusebius Hist. eccl. L. 5. c. 27.* testatur, consuetudinem paschatis Luna 14. una cum Judæis celebrandi, jam temporibus *Aniceti, Pii, Hygini, Telesphori, Xysti;* & *Soteris* apud Asiac Ecclesiæ viguisse, & in eo rite à Romana Ecclesia fuisse toleratas; igitur Constitutiones latuerunt Viros sanctissimos, *Polycarpum, Papirium, Melitonem, Polycratem,* aliosque Orientales Episcopos, qui certè tam pertinaciter morem suum Lunâ 14. pascha cum Judæis celebrandi non defendissent, quodsi eis aut cognita fuisset dicta Apostolorum Constitutio, aut pro Apostolica ab illis habita fuisset. 2º. S. CLEMENS Alexandrinus, qui in Sec. II. floruit, & initia Seculi III. attigit, etsi L. 1. 4. & 6. frequenter laudet genuinam S. Clementis epistolam ad Corinthios, nec verbo tamen meminit Constitutionum Apostolicarum. 3º. Neque S. CYPRIANUS & FIRMILIANUS cum suis Episcopis in controversia cum Stephano Papa unquam laudarunt Constitutionem L. 6. c. 15. in qua omnium Hæreticorum baptisimus reprobatur. 4º. Unde nec *Eusebius*, nec S. HIERONYMUS de Scriptoribus ecclesiasticis solerter alioquin tractantes, eorumque genuina scripta recensentes, de istis Apostolorum Constitutionibus, à Clemente Romano conscriptis quidquam memorant, sed unam dunt taxat epistolam ad Corinthios laudant, eidemque tribuunt.

Diætæ Constitutiones etsi multæ utilia contineant, pluribus tamen in locis ab Hæreticis corruptæ fuerunt. Quocirca S. ATHANASIUS in Sec. IV. (Igitur jam tunc conscriptæ extabant) in Synopsi Doctrinam Apostolorum Clementinam (nisi tam

Et ab
HH.
cor-
ruptæ

Tom. II.

li

men

men hæc sint alia omnino opera) inter eos libros collocat, quibus contradicitur, additque perversè ac falso scriptos esse. GELASIUS Papa in Synodo Romana anno 494. illas pariter apocryphis adnumerat. HUMBERTUS Cardinalis sub Leone IX. Nicetæ Monacho quædam ex Constitutionibus Apostolicis contra Sabbathi jejunium objicienti ita respondet: *Hoc adserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus, pari sententiâ Ss. PP. repudiatis . . . Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini.* Idem semper Judicium de illis habuit Ecclesia Romana, ut adeo teste Bellarmino nullum umquam nomen in Ecclesia Latina habuerint. Et sanè plura continent, quæ incredibile est ab Apostolis tradita, & à S. Clemente eorum Discipulo conscripta fuisse. Sic Jacobum fratrem Joannis inducunt narrantem Historiam Concilii Hierosolymitani (L. 6. c. 14. & 22.) cùm tamen ex Actis Apostolorum c. 12. constet, Jacobum jam ante occisum fuisse ab Herode. Eadem L. 5. c. 14 & 20. & L. 7. c. 24. tradunt, Sabbathi diem, velut creationis, à Christians observandum esse, ac feriandum, neque jejunio funestandum, & conventus solemnes eâ die indicunt, cùm tamen S. JUSTINO teste, Sabbathi religio passione Christi jam tunc abolita fuerit, nec Christiani solemnes conventus alio die agere consueverint, quâm Solis h. e. Dominicâ. Quin manifestos etiam errores continent, veluti dum L. 6. c. 25. Hæreticis eos accensent, qui suspicantur JESUM esse Deum universi, & L. 5. c. 20. ajunt, Patrem genuisse Filium ante secula, voluntate, poten-

potentia, ac bonitate. L. 6. c. 15. ab Hæreticis baptizatos, non esse baptizatos, sed inquinatos, non veniam peccatorum, sed vinculum iniquitatis accipere. L. 8. c. 2. Episcopum ignorantiam, aut malo animo oppletum non esse Episcopum, sed falsum Episcopum. L. 6. c. 14. eum, qui uxorem adulteram retinet, esse violatorem legis. Unde ipsa adeo *Trullana Synodus Can. 2.* ait, Constitutio-nes Apostolicas, quia ad labem Ecclesiæ aspergen-dam, adulterina quedam, & à pietate aliena sunt introducta, tamquam hæreticæ falsitatis fœtus ne-quaquam admittendas.

Respondeatur ad objecta.

Obj. I. S. EPIPHANIUS variis in locis meminit, Constitutionum Apostolicarum, quin eas reprehendat; immo potius laudat, veluti cum Hæresi 70, quæ est *Audianorum*, ita scribit: *Audiani vero ad institutum suum (de paschate cum Judæis celebrando) quamdam ex Apostolorum Constitutione autoritatem admodum admodum; qui liber tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non est tamen improbandus.* Nam in eo, quæ ad Ecclesiæ Disciplinam attin-ent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide, ac Catholica professione depravatum; aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contra-rium continet. Sed quod ad locum illum attinet, unde suam de paschate sententiam adfirmare co-nantur, hunc illi perperam interpretantur, & ad alienum sensum per inscitiam traducunt. Ete-nim Apostoli in illa Constitutione ita definiunt: *Vos, inquiunt, temporis rationes ne subducite,*

500 DE LEGE HUMANA.

sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum iis itaque passcha peragite. Ergo. Resp. Cùm S. EPIPHANIUS meminerit constitutionum Apostolicarum, quas ait nihil aut in Fide, aut Catholicâ professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac Decretis contrarium continere; meritò inde arguitur, fuisse tempore S. Epiphani Constitutiones aliquas Apostolorum nomine cohonestatas, at longè diversas ab iis, quæ nunc circumferuntur: has enim pluribus scatere erroribus, sive quoad dogmata, sive quoad disciplinam Ecclesiæ, ex dictis patet. Nec tamen inde arguas, S. Epiphani tempore extitisse librum quendam verè Apostolicum Constitutionum: nam ipse S. EPIPHANIUS fatetur librum illum fuisse dubia apud multos fidei.

Obj. II. S. ATHANASIUS Constitutiones Apostolicas inter eos libros retulit, qui etsi in Canonem relati non sint, tamen legebantur in Ecclesia, & ab apocryphis discernebantur. Quo in censu habet Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Esther, Judith, & Tobiam, quibus addit librum Pastoris, & doctrinam, ut vocatur, Apostolorum. Extat hoc Athanasi testimonium in fragmendo epistolæ festalis: & in synopsi Sacrae Scripturæ inter Libros N. T., quibus contradicitur, ab eodem numeratur Doctrina Apostolorum Clementina. Ergo. Resp. S. ATHANASIUS postquam librum Doctrina Apostolorum inscriptum cum aliis recensuit in Synopsi, hæc subjungit: Hi omnes cognitionis quidem gratia expositi sunt, cæterum omnino perverse & falso scripti sunt, & nothi ac reprobi. Nec illi Doctrinæ Apostolorum, & Cle-

mentinæ

mentibus majorem tribuit autoritatem, quam circuitui Petri, & Evangelio Thomæ, quæ ipse S. Doctor tamquam certò supposititia habebat. Denique multis ostendit Usserius in Dissert. de epistolis S. Ignatii M. S. Athanasium nomine *Doctrinæ Apostolorum*, & *Clementinorum* non intellexisse Constitutiones Apostolorum: eoquod teste *Nicephoro CP.* liber *Doctrina Apostolorum* dictus nonnisi ducentos versiculos contineret, cùm Apostolorum Constitutiones longè prolixiores sint, utpote libris octo comprehensa.

Obj. III Synodus Trullana anno 691. agnoscit Constitutiones ceu Opus Apostolorum, quamvis eas legere prohibeat, eoquod ab Hæreticis interpolatae sint. Nam *Can. 2.* ita loquitur: *Quamvis autem in his nobis Canonibus (Apostolorum) præceptum est, ut eorumdem Sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutionem susciperemus, &c.* *Resp.* Error hic ex alio priore natus est, quod nempe suscepissent Canonem 85, in quo Constitutiones Apostolicæ commendantur. Quod Photius *CP.* easdem laudaverit, mirum non est, quia spiritu vertiginis actus nonnulla in iis legebatur, quæ malæ ipsius causæ patrocinabantur adversus Latinos.

Q U A E S T I O VI.

Utrum Epistolæ Decretales Rom. Pontificum usque ad Siricum Papam genuinæ sint?

Quæstio hic non movetur de epistolis S. Cornelii, 170. quæ inter Opera S. Cypriani extant; neque Epistles of S. Cyprianus. Neque de Epistolis Julii I, quas refert S. ATHANASIUS stola. Apol. 2. Neque de epistolis Liberii, quas S. H. De-creta.

LARIUS in Fragmentis recenset; nec etiam de epistola *Damasi ad Illyrici Episcopos*, quam THEODORETUS L. 2. Hist. c. 22. exscribit, aliisque ejusdem Papæ epistolis apud S. HIERONYMUM extantibus; etenim epistolas veterum Pontificum in Operibus Ss. Patrum, vel apud Scriptores ecclesiasticos extantes Critici fatentur genuinas esse. Quæstio itaque de iis duntaxat epistolis agitatur, quas ex *Isidori Mercatoris collectione* Collectores Canonum in numerum Decretalium retulere, quin earum Antiqui meminerint. Hujusmodi sunt S. Clementis quinque, S. Anacleti tres, S. Evaristi duæ, Alexandri tres, Xisti I. duæ, Thelesphori una, Hygini duæ, Pii I. quatuor, Zephyrini duæ, Lucii una, Calixti I. duæ, Urbani I. una, Pontiani duæ, Anteri una, Fabiani tres, Cornelii duæ, Stephani I. duæ, Xisti II. duæ, Dionysii duæ, Felicis I. tres, Eutychiani duæ, Caji una, Marci una ad S. Athanasium, Julii I. duæ, Liberii duæ, Eelicias II. duæ, Damasi plures, sc̄ tres ad S. Hieronymum, aliæque ad Afros de Choropiscopis, ad universos Episcopos Italiæ, ad Aurelium.

I71. *Veterum Romanorum Pontificum Decretales Ante epistolæ usque ad Siricum Papam supposititia Siricium sunt. Nam 1^o usque ad Seculi VIII. finem ita suppositi latuerunt, ut nullus autor ecclesiasticus earum umquam meminerit 2^o Scripturam Sacram frequenter usurpant secundum vulgatam versionem S. Hieronymi, quæ post obitum illorum Pontificum, excepto Damaso, prodiit. 3^o Quia singulæ proprium manifestis erroribus scatent, v. g. Epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Gregorii.*

epi.
HEO-
ejus-
anti-
Ope-
iaſti.
Quæ-
quas
ano-
n ea-
nt S.
arifi
phori
rini
una,
Cor-
Dio-
Caji
duz,
ires,
s de
, ad
tales
titia
n ita
um-
quen-
Hie-
, ex-
ope-
stolæ
lini,
ego-

Gregorii Magni, Gelasii, &c. qui diu postea vixerunt. Agunt etiam de Patriarchis, quorum nomen primò audiri cœpit circa tempora Concilii Chalcedonensis Sec. V. 4º Silent de controversiis illius ætatis, cui tribuuntur, contra morem omnium Scriptorum, & Ss Patrum, qui illis Seculis scripsere. 5º Falsa temporum consignatio non leve est in epistolis, aliisque monumentis imposturæ argumentum. Unde TATIANUS in *Orat.* adversus Græcos: *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne Historia quidem vera esse potest.* At omnes ferè epistolæ illæ falsis temporum, & Consulum notis consignantur. 6º Eodem prorsus stilo, & simili charactere sunt conscriptæ; igitur unum, & non Pontifices diversos Autores habent. 7º Barbaro & sordido sermone conscriptæ sunt, qui ab elegancia & puritate latinæ linguæ, quæ primâ illâ ætate floruit, omnino abhorret. 8º DIONYSIUS Exiguus, qui se diligenter collegisse testatur omnes epistolas, quas in Ecclesiæ Romanae scriniis inventit, earum non meminit, sed initium à Siricio dicit. 9º LEO IV. anno circiter 850, epistolas decretales diligenter enumerans initium à Siricio facit, nec priorum illarum meminit. *Siricius* autem Pontifex creatus est anno 385, obiitque anno 398.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Veterum Pontificum epistolas usque ad Siricium tamquam genuinas agnoverunt Concilia, Canonum Collectores, aliquique Scriptores doctissimi. Sic Concilia illarum epistolarum testimonia tulerunt

runt, veluti *Aquisgranense* anno 836. *Coloniense* anno 887. *Mogantinum* anno 888. *Metense* eodem anno, *Triburicense* anno 895. In Concilio *Rhemensi* anno 992. epistolæ *Anacleti*, *Damasi*, aliorumque Pontificum expenduntur in causa *Arnulphi*. Similiter illarum epistolarum testimonio usus est Synodus *Lateranensis* sub *Callisto II.* anno 1122. Easdem epistolas citant *Benedictus Levita* Compilator Capitularium *Caroli Magni*, & *Ludovici Pii*, *Hincmarus Laudunensis* in libello, quem *Hincmaro Remensi* obtulit; *Luitprandus Ticinensis* in Libro de vitis Pontificum, *Burcardus Wormatiensis*, aliquae plures. *Resp.* Tam Synodi memoratae, quam dicti Scriptores omnes Seculo VIII. posteriores sunt, nec epistolas illas ad severioris Criticæ regulas expenderunt. Errorem certè suum facillimè intellexissent, quodsi ad priorum Seculorum attendissent silentium. Videntur autem decepti nomine *Isidori*, sub quo prodiit harum epistolarum compilator, existimantes illarum collectorem fuisse S. *Isidorum Hispalensem*. Non tamen immerito dictorum Conciliorum Patres & Scriptores varia ex Veterum Pontificum epistolis Decreta laudarunt, quia usu receptæ erant in Ecclesia, & à Sede Apostolica probatae, quin illas à tantis Pontificibus datas arbitrarentur. Praeterea hanc in rem scribit *BARONIUS* ad annum 875 *Avvero ex multis eas (VV. PP. Decretales Epistolas) reddi suspectas, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum, illis non indigere Sanctam Rom. Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis, cum, et si illis careat, ex legitimis germanisque*

nisque aliorum Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata consistat. Ceterum quod excerpta ex illis capita à Benedicto Levita primum, ut Canonibus consentientia probata essent (ut ipse testatur) autoritate Rom. Pontificum, quod & à posterioribus factum est Collectoribus; eadem usu potius recipi contigerunt; quam constanti ipsarum firmitate.

Obj II. Non solum Gratianus, sed etiam ipsi Rom. Pontifices, veluti LEO M. GELASIUS, LEO IV. & NICOLAUS I. illas epistolas seu genuinas reperunt, & ab omni Ecclesia velut genuinas recipi jusserunt, atque eas Præfules Ecclesiæ Gallicanæ ab octingentis omnino annis receperunt. *Omnia decretalia Constituta* (inquit S. Leo in ep. ad omnes Episcopos per Campaniam & Picenum data) *omnium Prædecessorum nostrorum*, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, venias sibi deinceps non verit denegari. GELASIUS in Decreto Rom. Synodi: Item Decretales Epistolas, quas Beatissimis Papæ diversis temporibus ab urbe Romana, pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas decernimus. NICOLAUS I. in ep. 47. ad omnes Galliæ Episcopos ita loquitur: *Decretales Romanorum Pontificum sunt recipienda*, etiamsi non sint Codici Canonum compaginatae: quoniam inter ipsos Canones unum B. Leonis Capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia Constituta Sedis Apostolicæ custodiri jubentur, ut si quis in illa commiserit, non verit sibi veniam negari. Unde HINCMARUS Laudensis Decretales illas protulit, ut causam suam

I i 5 adver-

adversus avunculum tueretur: & hic ipse in Opusculo 55. Capitum eas venerabiliter suscipiendas factetur. Id ipsum de tota fere Gallia testatur PETRUS de *Marca* L. 3 c. 6 §. 2. *Resp* S. LEO suorum Decessorum Decreta commendans, initium dicit ab *Innocentio I*, ante quem unus *Siricius* scriperat ad *Afros*, & ad *Himerium Tarragonensem*, qui ipsum consuluerant. Nomine autem omnium Prædecessorum suorum, quorum Decretalia Constituta custodiri jubet, intelligit *Siricium*, *Cœlestium*, *Zosimum*, *Bonifacium*, *Xystum III*, non verò Pontifices *Siricio* antiquiores. Verba etiam GELASII de epistolis decretalibus Pontificum *Siricio* posteriorum commodè & merito intelliguntur. LEO IV. *Dist*. 20. c *De libellis* initium Decretalium equidem dicit à *Silvestro Siricii* decessore, at videtur esse mendum, & loco *Silvestri*, legendum scilicet *Siricii*, quia vetus Ecclesiæ Canon nullas *Silvestri* regulas habet. NICOLAUS I. Si Decretales VV. Pontificum epistolas ut genuinas habuit, non ideo genuinæ sunt. Nonnulli Galliæ Episcopi quodsi eas venerati sint, aut plurium etiam iudicio si genuinæ sunt aestimatæ; non ideo errori huic cedit veritas.

a) Quis demum fuerit illarum epistolarum decretalium vel autor, vel compilator, non liquet. Illum non fuisse S. *Iсидорум Hispalensem*, inde patet, quia continent monumenta S. *Iсидоро Hispalensi* recentiora, veluti Concilium *Toletanum XI*, Synodus VI Oecumenicam, epistolas *Gregorii II & III*, *Zachariæ & S. Bonifacii* Archiepiscopi Moguntini. Neque Collector illarum est alias *Iсидорус Hispalensis*, nam ex epistola S. *Bonifacii* ad *Ethibaldum Regem*, quam autor refert, colligitur, Decretales illas fuisse cūsas post annum 700, data enim fuit illa episto-

epistola anno 744. Interea temporis autem nullus S. Isidoro, qui anno 636. in coelum abiit, alias successit qui hoc nomine compellaretur. Evidem ad finem Concilii III. Bracarense anno 675, subscriptus legitur *Isidorus Asturicensis*; & ad finem CC. Toletanorum XII, anno 681, XV. anno 688. & XVI. anno 693. subscriptus *Isidorus Setabiensis*; sed uterque ex dictis aetate praesul illarum epistolarum artificem. Communiter illae Epistolæ tribui solent *Isidoro Mercatori*: hic autem quis qualisque fuerit, non liquet. Nonnulli existimant illum fuisse magni nominis Monachum, qui se *peccatorem* dicere solebat; ex *peccatore* autem *mercatores* Scribas oscitant fecisse.

P A R S S E C U N D A
D E

Statu Hominis post mortem.

Plura, eaque gravissimi momenti hac in parte 172.
discutienda veniunt, cujusmodi sunt vita hominis futura post mortem, resurrectio mortuorum,
& Judicium Dei publicum ac ultimum, tum cœlestis Beatorum gloria, & supplicia damnatorum
aeterna, atque etiam illa, quæ Justorum animæ in Purgatorio sustinebunt ante consummationem Seculi.

C A P U T I.

De Vita hominis futura, & mortuorum resurrectione.

Q U A E S T I O I.

Utrum Vita hominum mortalibus hujus conditionis limitibus circumscribatur?

Homo cum vivere inter mortales desierit, finem 173.
habitudo esse omnia, & cum corpore animam